uxor tenetur, quam peccare in corpus, cap. Sacris, de his, quæ vi. Tandem quia non poteſt dici culpa mariti commiſſum fuiſſe adulterium illud, cum illius culpa ad id minime fuerit ordinata, l. Non omne, ff. de ſtatu lib. l. Si is qui, ff. de action. & oblig. & ita hanc ſententiam ſuſtinent Lara l. Si qui a liberis, §. Si quis ex his, nu. 210. & 211. ff. de liberis agnoſc. Surdus de alimentis, t. 7. q. 16. nu. 42. Barboſa aliis relatis, & appellans oppoſitam ſententiam falſam, l. 2. in princ. p. 1. n. 79. ff. ſoluto matr. Azebedo lib. 8. recop. t. 20. l. 4. n. 36. Eſſet tamen prior ſententia admittenda, quando viri ſævitia, aut expulſio eo tenderet, ut uxor fornicaretur. Tunc enim ſicut vir non poſſet de illo adulterio accuſare ad divortium, juxta dicta nu. 6. ita nec ad dotis amiſſionem. Quare licet judex ſibi applicaret dotem, eo quod probata non fuerit ea viri intentio, tenebitur vir in foro conſcientiæ eam reſtituere. Nec excuſabit ſententia falſæ præſumptioni innitens. Quod ſi dicas illam intentionem mente retentam eſſe: atque ita nil poſſe operari in contractibus, qualis eſt iſte, ut vir lucretur dotem ob adulterium uxoris. Ea enim tacita conditione vir recepit dotem, ad ejus reſtitutionem ſoluto matrimonio ſe obligans. Reſpondeo hic una cum actu interno expulſionem, aut ſævitiam, quæ cauſa fuit, interveniſſe, illaque actus externos eſſe.

11 Tertius caſus eſt, quando uxor probabiliter credens virum deceſſiſſe, alii nubit: vel econtra. Tunc enim conjux ſuperveniens non poteſt divortium celebrare ratione illius adulterii, cap. Cum per bellicam, 34. q. 2. & concordat l. Uxor 7. C. de rep. Et ratio eſt, quia tunc non eſt adulterium formaliter, culpaque vacat. Nec ſufficeret qualiſcumque culpa, ſed oportet eam eſſe mortalem: ut bene advertit Caſtro l. 2. de leg. pœn. c. 4. §. Ut noſtram. Quia pœna divortii eſt graviſſima, indignaque ſubinde ut ob levem culpam incurratur. Eſt tamen limitandus hic caſus, niſi conjux de vita prioris conjugis certificatus ſteterit in ſecundo illo matrimonio, debitum reddens, aut petens, quia tunc jam vere reus eſt adulterii. Sic Hoſtienſ. ſum. t. de divort. n 8. caſu 3. Vinc. ſpec. doctrinali, tom. 2. lib. 10. c. 42. Aſtenſ. ſum. 2. p. lib. 8. tit. 33. ar. 3. caſu 2. Monal. ſum. tit. de divort. §. Propter quid fiat divortium, verſ. Item ſunt quidam caſus, caſu 3. Palud. 4. d. 35. q. 1. art. 2. caſu 3. n. 14. & ibi Supplem. Gabr. q. 1. ar. 2. poſt. 1. concl. caſu 3. Enriq. cap. Significaſti, num. 12. de divortiis, Lex 8. t. 9. par. 4. & ibi Greg. Lop. verb. Si deſpues, Montalvus lib. 6. paulo poſt princip. tom. 9. part. 4. D. Anton. 3. par. t. 1. cap. 21. §. 6. caſu 3. Silveſt. verb. Divortium, q. 9. caſu 2. Veracr. 3. part. Speculi, ar. 1. concl. 5. caſu 3. Palac. 4. d. 35. diſp. un. colum. 4. verſ. Tertia limitatio, Abul. c. 19. Matthæi, q. 65. caſu 3. Et addit bene Palacios, idem dicendum eſſe, quando conjux jam dubius de prioris conjugis vita petit debitum. Quia cum illa copula ſit ſpontanea, non vacat adulterii culpa. Quod tamen intelligo, ſi ante ſufficientem adhibitam diligentiam petat debitum, nam ea adhibita ſi non poteſt certificari de vita prioris conjugis, poteſt deinceps petere (ut probavi lib. 2. diſp. 42. n. 47.)

12 Nec ſi conjux credens probabiliter alium conjugem mortuum, fornicetur, poteſt a conjuge ratione illius fornicationis dimitti. Quia excuſante juſta matrimonii ignorantia, fornicatio illa vacat culpa adulterii, nec tale eſt formaliter. Quare illius pœna, quæ eſt divortium, ac dotis amiſſio, plectenda minime eſt. Sicut accedens ad conſanguineam uxoris ignarus conſanguinitatis, quia excuſatur ab inceſtu, non incurrit ejus pœnam, quæ eſt privatio petendi debitum conjugale (ut probavi lib. præc. diſp. 32. n. 47. & 48.) Præterea, quia Federicus, quem refert, & ſequitur Ant. c. fin. n. 3. de adult. & ibi Card. in fine, docent accuſatam uxorem de adulterio non poſſe damnari pœna legali illius, ſed ſimplicis fornicationis, ſi probet fuiſſe tunc famam communem mortis viri. Quia adulterium non committitur abſque dolo, l. penult. C. ad l. Juliam de adult. Deinde, quia accedens ad conjugatam, exiſtimans eam eſſe ſolutam, nequit adulteri pœna puniri l. 5. t. 17. par. 7. Caſtillo l. 82. Tauri, n. 8. Tandem, quia Albericus in ſuo dictionario, lit. A. verb. Adulterium, verſ. Idem ſi crediderit, ait non poſſe obiici adulterium uxori credenti virum defunctum. Et conſtat ex cap. Si virgo, 34. q. 2. idemque probavi lib. 7. diſp. 101. num. 4. ubi & reſpondi ad cap. Gaudemus, de divortio, quod contrarium probare videtur. Imo crediderim, non eſſe cauſam, ut legitimus vir ab uxore divertat, ſi exiſtimans eum eſſe mortuum, aliiſque nuptiis celebratis, fornicetur. Quia quamvis non excuſetur a culpa adulterii in ordine ad poſteriorem virum putativum, cum exiſtimet poſterius matrimonium eſſe legitimum. At reſpectu prioris viri, cujus matrimonio ſe ſolutam ejus morte probabiliter exiſtimat, non eſt rea adulterii. Divortium autem priori viro ſolum conceditur ob injuriam ſibi irrogatam adulterino concubitu, quo ejus matrimonium offenditur. Qualis non eſt hic. Sed obiicies hunc conjugem dediſſe operam rei illicitæ. Jam ſatisfeci ſimili objectioni l. 7. diſp. 101. num. 3. & l. præc. diſp. 32. n. 24.

13 Quartus caſus eſt, quando uxor fuit violenter cognita. Cum enim culpa vacet adulterium illud, c. Ita, & cap. Propoſito 32. q. 5. imputari non debet ad divortii pœnam.

14 Temperant aliqui, niſi uxor cauſam violentiæ dediſſet. Ut quia non audivit viro monente fugam, ne vi hoſtium opprimeretur. Sic Cantera q. crim. q. tangentibus punitionem delicti, c. 4. n. 49. Ceterum dicendum eſt adhuc non poſſe accuſari de illo adulterio ad divortium, aliamve pęnam. Quia l. Vim paſſam, ff. ad l. Jul. de adult. indiſtincte deciditur vim paſſæ non eſſe adulterium imputandum. Item, quia nullius criminis uxor rea eſt, quæ coacta fuit, nec prohiberi potuit, l. Nullum, ff. de reg. jur. Nec ſemper imputatur effectus ſubſequens, ubi culpa præcedit, c. Quoniam, de conceſſ. præb. Cum culpa illa inobedientiæ uxoris non fuerit ordinata, ut opprimeretur. Atque ita gl. c. de pudicitia, verb. Eripi, 32. q. 5. mota hac quæſtione nihil decidit, ſed remittit ſe ad quæſtionem Dominicalem, ubi ſuſtinuit adhuc non poſſe dimitti uxorem. Et idem docent Archid. eo c. De pudicitia, n. un. & Bellamera n. un. & ibi Joan. quem refert, & ſequitur Greg. Lop. l. 7. verb. Por fuerca, t. 9. p. 4.

Alii autem ſunt in contrario extremo, ut intelligant non 15
ſolum excuſari mulierem a pęna divortii, & dotis amittendæ, quando vi præciſa oppreſſa eſt, ſed etiam quando metu cadente in feminam conſtantem. Ducuntur, quia D. Aug. lib. 1. de civitate Dei, c. 19. & refertur c. Propoſito 31. qu. 5. Lucretiam excuſat ab adulterio, dicens ſolum accedentem ad ipſam fuiſſe adulterum, eo quod coacta ſit. Et tamen non vi præciſa, ſed metu ſolo coacta eſt. Nec poteſt dici excuſari tunc a culpa adulterii: ſentit ergo excuſari a pęna illius, quæ eſt divortium. Secundo, quia Baldus, l. Eam, quam, n. 25. Cod. de fideicommiſſis, docet feminam concipientem ex tyranno conjugato poſſe prolem inſtituere. Quoniam talis coitus matris non ſubjacet pęnæ, excuſante violentia. Tertio, quia ubi lex dolum requirit, non ſufficit culpa, l. 1. ff. de ſicar. & notatur l. In actionibus, ff. de in litem jur. & l. Quod Nerva ff. de poſiti. Adulterium autem quoad pœnam requirit dolum, l. pen. ff. ad l. Juliam de adulterio. Qui deſideratur, ubi adeſt metus feminæ conſtantis. Atque ita docent Abbas conſil. 4. num. 3. vol. 1. Roſel. verb. Adulterium, n. 5. ubi Silv. q. ult. Armil. n. 5. Tabiena q. 1. num. 3. Graffis 2. p. deciſionum, lib. 1. c. 12. n. 72. caſu 2. & dicit forte verum Gregor. Lop. l. 7. verb. Per fuerca, t. 9. p. 4. Et favent gl. dict. cap. Propoſitio, verb. Adultera, & verb. Unus, & ibi Archid. & Bellamera ad finem, ubi textum illum intelligunt de metu, & intelligunt unum tantum fuiſſe adulterum quoad reatum, & pœnam adulterii ſecundum leges. Quamvis ſecundum canones ſit adulterium. Addunt Abbas, Silveſt. & Roſella idem dicendum, ſi femina metu oppreſſa ob verecundiam, & timorem infamiæ non clamavit. Et hæc ſententia probabilis eſt.

Verum a communiſſima ſententia recedendum minime eſſe 16
arbitror, quæ docet metum non excuſare, quin liceat viro divortium facere. Quia revera non excuſat a culpa mortali adulterii, & fidei fractæ, quæ cauſa divortii ſunt. Et ad illam culpam mortalem canones attendunt. Unde caute gloſſa dict. c. Propoſitio, & illam ſequentes Archid. & Bellamera dixerunt excuſare metum a pęna legalis adulterii, quæ dolum deſiderat. At ſecundum canones eſſe adulterium, quaſi ſenſerint non excuſare a pęnis canonicis, quæ culpam conſiderant. Quales ſunt divortium, & dotis amiſſio, c. Plerumque de donat. inter vir. & uxor. Et per hoc ceſſant objecta, quæ de pęnis legalibus probant. Atque ita loquentes de divortio ſentiunt ex Juriſperitis Goffred. ſum. tit. de divortiis, nu. 4. Hoſtienſ. ſum. eod. tit. num. 8. Albericus in ſuo dictionario, litteræ M. verb. Matr. 8. §. Quid ſi aliquis conjugum, Henricus cap. Significaſti, num. 12. de divortiis, Monaldus ſum tit. de divortiis, §. Propter quid fiat divortium. verſ. Item ſunt quidam caſus 5. Joan. de Friburgo ſumma confeſſorum, lib. 4. tom. 22. quæſt 8. Aſtenſ. ſum. 2. p. l. 8. t. 23. ar. 3. caſu 5. Silveſt. verb. Divortium, q. 9. caſu 4. Tabiena Matrimonium, 4. n. 1. caſu 5. Armil verb. Matrimonium, n 73. caſu 5. Montalvus l. 6. ad finem, t. 9. p. 4. Covar. 4. decr. 1. p. c. 5. initio n. 3. Gaeta repet. c. Ad limina 30. q. 1. §. 4. n. 217. Azeb. l. 8. recop. t. 20. l. 1. nu. 22. ponderans illam legem, ut velit in hoc regno ſolum excuſari uxorem a pęnis legalibus, quando adulterium fuit ita violentum, ut culpa in eo non fuerit, ibi Y ſi por ventura la muger no fue en culpa, & fuere forſada, no aya pena. Nam copula, &, utrumque conjungit, petitque vim a culpa excuſantem. Et ex Theologis idem tenet D. Bonavent. 4. d. 35. in expoſitione litteræ, n. 2. ubi Durand. q. 1. ar. 1. num. 7. Palud. q. 1. ar. 2. caſu 5. num. 16. Supplem. Gabr. q. un. ar. 2. poſt. 1. concl. caſu 5. Vincent. ſpecul. doctrinali, tom. 2. lib. 10. cap. 42. D. Ant. 3. p. tit. 1. c. 21. §. 6. caſu 4. Sotus 4. d. 36. qu. un. ar. 1. verſ. Et eadem ratione, Caſtro lib. 2. de pœnalit. 4. §. Ut noſtram: licet enim videatur prima facie oppoſitum ſentire, at clare eſt hujus ſententiæ, metus enim appellat ibi violentiam: & ita dicit intelligi de vera, & abſoluta violentia, ubi nullus intervenit conſenſus, alias (inquit) ſicut nec a culpa, ita nec a divortio excuſaretur, Palacios 4. diſt. 27. diſp. 3. col. 21. fol. 602. & d. 35. diſp. un. colum. 4. verſic. Quinta limitatio, Enriq. lib. 11. de matrim. c. 17. n. 5. Barth. a Led. dub. 65. de matrim. poſt 3. concl. caſu 5. Ludov. Lopez 2. p. inſtr. de matr. c. 38. fol. 1049. §. Circa alium caſum, Vega 1. tom. ſum. c. 13. caſu 16. Cannedo ſum. Sacrament. ubi de matrim. c. 7. n. 58.

Quintus caſus eſt, ſi conjugi commiſceatur alter ſub mari- 17
ti ſpecie latenter, & bona fide ex parte conjugis. Sicut accidit Jacob cum Lia, Geneſis 29. Tunc enim ſicut bona fides excuſat concubitum conjugis a culpa adulterii, ita a pęna divortii, c. In lectum, 34. q. 2. Ad probandam autem hanc conjugis bonam fidem, ſufficit ejus juramentum, habito reſpectu ad ejus honeſtatem, & alias probabiles conjecturas, ut tradunt Hoſt. ſum. t. De divortiis, n. 8. caſu 3. Aſtenſ. ſum. 2. p. l. 8. t. 33. ar. 3. caſu 3.

Sex-



18 Sextus caſus eſt, ſi matrimonio ab infidelibus inito, datoque libello repudii, conjux dimiſſus ad aliud tranſeat matrimonium, non poterit repudians obiicere conjugi repudiato conſummationem illius ſecundi matr. quæ adulterium eſt, quo ab illo divertat, habetur expreſſe cap. Gaudemus, de divortiis, in fine. Cujus ratio communiter redditur. Quia infideles exiſtimant matrimonium diſſolvi per repudium, juxta eorum ritus celebratum: ac ſubinde ratione ignorantiæ excuſatur copula illa ab adulterio. Ex qua ratione colligitur idem dicendum eſſe de conjuge repudiante legitime & juſte, ſecundum eorum exiſtimationem, & ritus: ſi enim poſt repudium aliud ineat matrimonium, non poterit ob id, divortium celebrare conjux repudiatus. Quia quamvis textus de ſolo repudiato loquatur: at eadem militat ratio. Nam uterque conjux legibus matrim. ſe ſolutum exiſtimat. Utrum vero ſi poſt repudium fornicetur, vel detur cauſa adulterii negata cohabitatione, adſit juſta divotii cauſa? dixi n. 8.

19 Ultimus caſus eſt, quando conjux innocens alteri condonat adulterium, & ſic reconciliantur. Cum enim divortium ſit in favorem innocentis, poteſt innocens cedere jure ſuo, delictumque condonare, & ſic ceſſabit jus divortii. Hæc autem remiſſio eſt duplex, quædam expreſſa, quando, ſcilicet, verbi expreſſis innocens conjux adulterum ſibi reconciliat, condonans delictum, de qua reconciliatione loquitur textus, l. Si Maritus, 25. §. Si negaverint, ff. ad l. Juliam, de adult. probans ex tunc minime audiendum eſſe maritum de adulterio accuſantem. Et notant Alex. l. Juris gentium, §. Si paciſcar, ad finem, ff. de pactis, Barb. l. 2. in princ. p. 1. n. 100. ff. ſolut. matr. Non tamen ſatis eſſet remiſſio mente retenta, nec ſigno aliquo externo conjugi nocenti expreſſa. Quia propoſitum mente retentum in his contractibus inter homines initis, nullius efficaciæ eſt, l. Cum in plures, 62. §. Locati, ff. locati. Deinde, quia cum remiſſio illa, ſit velut quædam juris divortii, & accuſandi donatio oportet ut firma ſit, eam parti, cui ſit, intimari, ut de donatione late diſſerui lib. 1. diſp. 6. & 7. Alia autem eſt remiſſio tacita. Ut ſi conjux adulterii conſcius, alium non excluſit a conſortio maritali, vel excluſum admiſit. De qua reconciliatione nihil in præſenti dicendum eſt. Quia in ſequentibus eſt ſpecialis diſputatio inſtituenda.

20 Id tamen obſervandum eſt, ſi reconciliatione facta, conjux ille reconciliatus in adulterium relabatur, poſſe non obſtante priori illa reconciliatione, de novo eo adulterio illum accuſari, & ratione illius celebrari divortium. Quoniam præcedens venia non trahitur ad futura delicta, ſed ſola præterita reſpicit, argumento: l. Non alias, §. 1. ff. de judiciis, ubi quamvis legato jus gentium ſecuritatem conceſſerit, l. Sanctum, ff. de rerum diviſ. deciditur poſſe eum puniri de legationis tempore admiſſo delicto. Præterea, quia reconciliatio illa contractum matrimonii ad priſtinum vigorem reſtituit, ac ſi nullum eſſet uſque tunc adulterium commiſſum, ſed in eo eventu poſſet conjux reus novi adulterii dimitti, & de illo accuſari: ergo idem dicendum eſt facta ea reconciliatione. Nec æquum eſt, ut ea criminis futuri impunitatem præſtet. Atque ita ſentiunt ex Juriſperitis gl. cap plerumque, verb. Nec reconciliata, in fine, de donat. inter vir. & uxor. & ibi Alex de Nevo n. 6. Præpoſ. n. 4. fine, Joannes de Ancona, quem refert, & ſequitur Archid. c. 1. n. 4. 32. q. 6. & ibi Bellamera n. 2. Joan. Lup. cap. per veſtras, in princ. §. 9. n. 18. de donat. inter vir. & uxor. Cifuentes l. 80. Tauri dub. 7. & ibi Caſtillo num. 2. Greg. Lop. l. 18. verb. En ante t. 17. p. 7. id colligens a contrario ſenſu ex ea lege, Cov. 4. decret. 2. par. c. 6. §. 6. n. 7. Villapand. repet. ad l. 22. t. 1. par. 7. § 14. a n. 2. Additio ad locum Angeli, quem ſtatim pro contraria parte referam, Azebedo lib. 8. recop. tit. 20. l. 2. num. 11. Barboſa l. 2. p. 1. in princ. n 104. ff. ſolut. matrim. Surd. de alimen. t. 7. quæſt. 16. num. 103. Et ex Theologis, Ricard. 4. d. 35. ar. 1. q. 1. D. Anton. 3. par t. 1. c. 21. §. 5. Silveſt. verb. Divortium q. 9. caſu 5. Sot. 4. d. 36. q. un. ar. 1. verſ. Dubitatio vero. Ledeſm. 2. p. 4. q 64. art. 2. paulo ante §. Erat ſecundum dubium, Palac. 4. d. 227. diſput. 3. colum. 22. f. 603. Angl. Florib. 1. part. de matrim. q. 9. de divort. ar. 1. diffic. 2. concl. 6. Enriq. l. 11. de matr. cap. 17. num. 5. Barth. a Led. dub. 65. de matr. poſt. 3. concl. §. Et jam eſt notandum. Manuel 1. tom. ſumm. 2. edit. c. 240. n. 3. Graffis 2. p. deciſionem, lib. 11. c. 12. n. 72. caſu 6. Cannedo ſumm. ſacram. ubi de matr. c. 7. nu. 72. caſu 6. Lud Lop. 1. p. inſtruct. cap. 295. Adde ad prædicta. Unde non ſunt audiendi Salic. l. quoniam, in fine, C. ad l. Juliam, de adult. Angel. de maleficiis, verb. Che me a adulterato, num. 49. dicentes non poſſe eum conjugem de novo illo adulterio accuſari. Innituntur que textus, c. De Benedicto 32. q. 1. ibi: Nullum ei duntaxat ſimile committenti periculum allaturus. Sed reſpondet bene Cov. proxime citatus, eum textum ſolum velle, ne vir propria auctoritate uxori relabenti damnum inferat, illamve occidat.

21 Imo Jo: Lupus eo c. Per veſtras, in princ. §. 9. n. 22. ait poſſe forſan attentari, ut conjux ille reconciliatus relapſus in adulterium poſſit etiam de adulterio condonato accuſari. Sed merito illum improbant Cov. Barboſa, Azebedo, Surdus, Lud. Lop. n. præc. allegati. Quoniam primum illud adulterium jam eſt remiſſione extinctum. At crimen ſemel tranſactione aut indulgentia accuſatori extinctum, non poteſt amplius ab eodem in judicium deduci, c. De his, de accuſ. & l. Transfigere, C. de tranſ. & c. illic 23. q. 4. junct. gloſſ. verb. Recidivo. Idemque probatur ex reg. l. Qui res, §. Aream, ff. de ſolut. Et ex doctrina Bartoli l. Non ſolum, §. Injuriarum, nu. fin. ff. de injur.

Utrum autem ſit facta reconciliatione, qui erat innocens la- 22
batur in adulterium, compenſetur cum priori illo adulterio a ſe condonato, ita ut ille conjux reconciliatus, non poſſit divortium petere? dicam diſp. ſeq. n. 7.

Tandem obſervandum eſt cum Soto 4. d. 36. q. unic. ar. 2. verſ. 23
De his autem caſibus, & verſ. ſeq. & Petr. de Led. de matr. q. 62. ar. 1. dub. 1. circa 2. concl. & Cannedo ſum. ſacram. ubi de matr c. 7. n. 62. omnes hos caſus, in quibus non permittitur divortium ob adulterium, cenſeri exceptos ex jure ipſo naturali, & divino, & non ex Eccleſiæ ſtatuto. Et de duobus primis caſibus idem affirmat Bart. a Led. dub. 65. de matrim. poſt 3. concl caſu 1. & 2. Quod inde probatur, quia primus caſus juri naturali innititur, nil enim tam naturale eſt, quam delictorum compenſationem admitti. In reliquis autem caſibus adulterium minime imputatur, vel quia injuria affectus condonavit: vel quia non fuit formaliter adulterium, ſed culpa vacavit: vel quia alter conjux culpæ particeps fuit, præſtando conſenſum: quæ omnia ſunt juri naturali conſona. Inſuper probant Sotus, & Cannedo ibi. Quia cum Eccleſia non habeat facultatem ſupra jus divinum, & naturale, niſi hæ exceptiones ex ipſomet jure divino deducerentur, non poſſet Eccleſia facultatem celebrandi divortii ob adulterium conceſſam jure divino, & naturali reſtringere, hos caſus excipiens. Quod ſi dicas Chriſtum non juſſiſſe, ſed ſolum permiſiſſe divortium ob adulterium: & ideo nil mirum, ſi Eccleſia potuerit permiſſionem hanc reſtringere. Sicut reſtrinxit facultatem conceſſam carnibus veſcendi. Reſpondet bene Sotus, diſparem eſſe rationem. Quia non fecit Deus ſingularem permiſſionem eſus carnium, ſed generaliter permiſit edere carnes, alioſque cibos, ubi & quando oportet: quaſi Eccleſiæ arbitrio relinquens tempora hæc definienda. At de divortio ob adulterium celebrando, jus ipſum naturale declarans, ſingularem permiſſionem conceſſit, quare Eccleſiæ non eſt, niſi tanquam juris divini, & naturalis interpretis, permiſſionem hanc reſtringere.

## DISPUTATIO VI.

Qualiter accipienda ſit compenſatio adulterii utriuſque conjugis ante latam divortii ſententiam commiſſi, ita ut neutri liceat ab altero divertere?

### SUMMARIUM.

*Delicta compenſantur utriuſque conjugis adulteriis, n. 1. & remiſſive, quando alter poſt profitetur.*
*Oportet utriuſque adulterium eſſe liquidum ac certum, 2.*
*Debet utriuſque delictum ſufficere ad divortium. Nec eſt compenſatio, ſi alter adulteratur, alter vero mollitiem, aut pollutionem, extra vas cum tertia perſona admittat: vel copulam intra vas abſque ſeminatione habeat, 3.*
*Quid, ſi alter ſodomita, alter vero adulter ſit. Refertur opinio, 4.*
*Compenſantur delicta, etiamſi alter adulter, alter vero ſodomita, & beſtialitatis ac adulterii reus ſit, n. 5. & ibi remiſſive, quid quando alter carnaliter; alter vero ſpiritualiter fornicatur.*
*Num referat uter conjux prius ſit fornicatus, 6.*
*An fiat compenſatio adulterii unius conjugis cum adulterio alterius, jam condonato a conjuge poſterius adulterante, 7.*
*Quid, ſi alteruter plura admiſerit adulteria, 8.*
*Quid, ſi adulterium unius ſit occultum, alterius vero publicum, 9.*
*An poſſit vir adulter paciſci cum uxore adultera ut conniveat in divortium, ne ipſam criminaliter accuſet. Et explicatur l. Transfigere. Cod. de tranſact. quando liceat ſuper adulterium transfigere, 10.*
*An adulter volens adulteram accuſare, teneatur reddere debitum remiſſive, 11.*
*An exceptio adulteri ſit peremptoria, ita ut poſſit opponi ante, & poſt litem conteſtatam, & in modum declaratoriæ. Explicanturque l. Si Maritus §. Præſcriptiones, ff. ad l. Jul. de adult. & l. 7. t. 17. p. 7. num. 12.*
*An lata divortii ſententia poſſit conjux adulter opponere adulterium ab altero ante ſententiam commiſſum, vel de illo actionem intentare; remiſſive, 13.*

Cum diſp. præced. n. 2. inter caſus, in quibus ob adulte- 1
rium non permittitur divortium, annumeraverimus quando uterque conjux adulterii reus eſt. Jam circa hunc caſum aliqua diſputanda ſunt. Et quia lapſus hic in adulterium poteſt contingere ante, & poſt ſententiam divortii latam: in utroque eventu diſputandum eſt. Et prius in hac, & aliquibus ſequentibus diſputationibus quando contingit ante ſententiam latam, & deinceps quando poſt. Dubitatur igitur in præſenti, quando contingit ante ſententiam latam. Prima concluſio certiſſima apud omnes eſt. Quando contingit ante latam divortii ſententiam utrumque conjugem adulterari, neutri licet ab alio divertere, ſed mutua compenſatione ambo adulteria abolentur. Hanc ſatis probavi diſput. præced. num. 2. Quidam temperant niſi poſterius fornicans, poſt adulterium fuerit profeſſus, vel ad ordinem promotus. Sed hoc dicam diſput. 9. num. 26.

Duo autem ad hanc compenſationem deſiderantur. Prius 2
eſt, ut utrumque adulterium ſit liquidum, conſtetque alteri conjugi. Si enim unius adulterium ſit liquidum, alterius

rius vero minime, ſed dubium, non licet illi, cujus adulterium eſt certum, dubitatque de ſui conjugis adulterio, compenſatione uti. Quoniam debiti liquidi ad non liquidum non eſt compenſatio, *l. fin. C. de compenſ.* Sic docent *Hoſt. cap. fin. num.* 1. *de adulter. & ibi Joan. Andr. num.* 1. *Anchar. num.* 3. *Cardin. num.* 1. *oppoſit.* 2. *Anan. num.* 1. Quare ſi conjux adulter opponeret alii adulterium ſibi dubium, falſiſque teſtibus illud probaret, & ſic alteri negaretur divortium, non eſſet rectus in conſcientia. Non enim juvari poteſt compenſatione adulterii alterius ſibi dubii cum ſuo, quod ſibi conſtat.

3 Poſterius requiſitum eſt, ut utrumque delictum ſit ſufficiens ad divortium. Adulterium enim conſummatum admittens non poterit illud compenſare cum mollitie alterius, vel pollutione cum tertia perſona extra vas, ut ſic illi divortium deneget: ſed poterit hic ab illo divertere. Quia in ordine ad divortium, ad quod attenditur, delicta non ſunt paria, atque ita illorum compenſatio non fit. Sic *Led.* 2. *part.* 4. *q.* 64. *ar.* 2. *duplici coll. ante fin. verſic. Et tamen notandum.* At idem dicendum eſt in reliquis caſibus, in quibus delictum alterius non eſt ſufficiens ad divortium. Ut ſi alter non emiſit ſemen intra vas, licet illud penetrarit, vel habuerit rem cum femina mortua, quos omnes caſus numeravi tota diſp. 4. poteſt enim hic ab altero vere adultero divertere. Eadem ratione, ob criminum in ordine ad divortium diſparitatem.

4 Difficultas autem eſt, quando fornicationes non ſunt ejuſdem naturæ, ſed altera eſt naturalis, nempe, adulterium, altera vero innaturalis, ut ſodomia. Nam aliqui exiſtimant ad juſtam delicti compenſationem in hoc caſu faciendam, non eſſe opus ut eadem fornicationis ſpecie uterque conjux ſit infectus, ſed ſatis eſſe, ut ſit eodem fornicationis genere, dummodo is, qui compenſare, eaque compenſationis mutui delicti exceptione ſe tueri vult, ſit levioris fornicationis ſpeciei reus: Ut adulter poteſt ſe tueri contra ſodomitam, divortium petentem: ſi tamen adulter divortium intentet contra ſodomitam, non poteſt hic ſe defendere, exceptione compenſationis ſui delicti cum adulterio alterius, allegata. Quia ſuum delictum eſt gravius, ac ſubinde impar delicto alterius. Sic docent *Caſtro lib.* 2. *de lege pœnali, c.* 4. *paulo ante §. Ut igitur. Ovandus* 4. *d.* 45. *diſp. unic. propoſ.* 1. Qui bene explicat hanc minorem fornicationis gravitatem non utcumque conſiderandam eſſe, ſed quando altera innaturalis eſt, altera vero naturalis. Non enim ad hoc diſparitas reputaretur, ſi vir adulteretur cum ſoluta, uxor autem cum conjugato, vel profeſſo. Et pro hac ſententia faciunt *Hoſt. cap. fin. n.* 4. *de adult. Jo: And.* 1. *Ant. num.* 4. *Cardin. ſtatim in princ.* ubi explicantes illum textum reddentem rationem, cur adulter adulteram accuſare nequeat ad divortium, quia paria crimina mutua compenſatione tolluntur: explicant paria, quantitate, & qualitate.

5 Ceterum contraria ſententia mihi placet, ut ex utraque parte detur compenſatio, ac ſubinde neutri conjugi liceat divortium celebrare. Quia ſi paritatem criminis in ordine ad divortium conſideremus (ut revera conſideranda eſt) utrumque crimen eſt æquale. Cum ob utrumque pariter concedatur divortium. Si vero conſideretur in ordine ad matrimonium, cui injuria irrogatur, cum gravior ſit injuria illi per adulterium quam per ſodomiam illata (ut probavi diſput. 4. num. 3.) adulterium gravius delictum erit, atque ita adulter non poterit a ſodomita divertere. Si vero dicas conſiderandam eſſe gravitatem ſecundum ſe, hoc dici non poſſe probavi eadem diſp. 4. num. 3. Et confirmatur, quia ſi gravitas fornicationis in ſe attendenda ſit, non eſt cur potius dicamus ſolum attendendam eſſe, quando altera eſt naturalis, & altera innaturalis: quam ubi intra fornicationis naturalis limites altera gravior, altera autem levior eſt. Quod tamen attendendum eſſe nullus diceret. Tandem, quia ſi in compenſatione inſpiciendum eſſet uter conjux graviori fornicatione infeſtus eſſet, ut ille non poſſet adverſus alium hac ſe exceptione tueri, gravitas illa fornicationis omnino attendenda eſſet per repugnantiam ad conjugium, atque ita potius dicendum eſſet adulterum non poſſe ſuum delictum compenſare cum ſodomia alterius, quæ minus matrimonio repugnat. Quo argumento egregie uſus eſt *Bellarmin. lib.* 1. *de matrim. cap.* 17. *§. Reſpondent nonnulli*, contra aliquos dicentes fornicationem ſpiritualem, nempe infidelitatem, diſſolvere conjugium, non autem corporalem, eo quod illa gravius peccatum ſit. Adverſus quos inſurgit dicens, quamvis fornicatio ſpiritualis ſit gravius in ſe peccatum; cum tamen magis repugnet conjugio fornicatio corporalis, potius ex hac ratione concludendum eſſe fornicationem corporalem diſſolvere. Sic ergo in noſtro caſu dicendum eſſet. Et ideo hanc ſententiam tuentur *Palud.* 4. *d.* 35. *q.* 1. *art.* 2. *caſu* 1. *num.* 11. ubi *Suppl. Gabr. q. un. art.* 2. *poſt* 1. *concl. caſu* 1. *Palacios, ibi diſp. unic. ſtatim in princip. corp. Tabiena Matrimon.* 4. *num.* 1. *caſu* 1. *Gaet. repet. cap. Ad limina* 30. *quæſt.* 1. §. 4. *numer.* 217. Imo idem credo dicendum eſſe, quamvis alter adulterii, ſodomiæ, ac beſtialitatis reus eſſet: alter autem ſolius adulterii. Neutri enim divertere liceret: ſed daretur compenſatio. Quia ad hoc ſufficit dari paritatem criminum, quo ad hoc quod uterque carnem ſuam diviſerit contra fidem in matrimon. præſtitam. Quod eſt fundamentum divortii (ut probavi diſput. 4. num. 3.) multiplicatio vero major delictorum minime huic compenſationi obſtat, ut dicemus n. 6. Utrum autem detur compenſatio, ſi alter corporaliter, alter vero ſpiritualiter fornicetur lapſus in hæreſim, vel apoſtaſiam a fide? dicemus hoc lib. diſp. 16. per totam.

Secunda concluſio. Ad hanc mutuam delictorum compenſationem faciendam, nil refert, uter conjugum prius ſit lapſus in adulterium. Quia jura ſolum ponderant utrumque conjugem ſimili crimine jam infici, & neutrum matrim. fidem illæſam ſervaſſe, non habita ratione prioritatis, vel poſterioritatis delicti, ut conſtat ex textibus hanc compenſationem docentibus, quos retuli diſp. præc. n. 2. Et ita docent *gl. c. Veniens, verb. Sponte, de converſ. conjug. Hoſt. cap. Gaudemus, init. de converſ. conjug. Palud.* 4. *d.* 35. *q.* 2. *ar.* 1. *num.* 14. *Sot.* 4. *d.* 36. *q. un. ar.* 1. *verſ. Dubium autem, Nav. l.* 4. *conſ. in utraque edit. t. de divort. conſ.* 1. *n.* 1. *Bart. a Led. dub. de matrim. poſt* 3. *concl. §. Etiam eſt notandum, Surd. de alimentis t.* 7. *q.* 16. *num.* 53. *Lud. Lop.* 2. *par. inſtr. de matr. c.* 54. ubi de divort. quoad habitationem, *§. pen. notab.* 4. *Petr. de Led. de matr. q.* 62. *ar.* 1. *dub.* 1. *fin. Manuel* 1. *to. ſum.* 2. *ed. c.* 240. *n.* 3. *Cannedo ſum. ſacr.* ubi de matr. *c.* 7. *n.* 57. *caſu* 1. Idque veriſſimum eſt, & nullum dubitandum inveni. Imo poſt ſententiam divortii adulterium admiſſum a conjuge, in cujus favorem divortium eſt celebratum, compenſari cum adulterio prioris conjugis dimiſſi, ſatis probabiliter docent multi, ut videbimus diſp. 9. Quare falſo *Surdus proxime citatus*, impoſuit *Bolognet. conſ.* 23. *nu.* 2. ipſum ſentire, exigi ut delicta ſint eodem tempore commiſſa, ut compenſatione tollantur. 6

Imo quidam hoc extendunt, ut licet prius adulterium conjugis ſit condonatum ab altero conjuge innocente, ſi poſt condonationem innocens labatur in adulterium, detur illius compenſatio cum adulterio illo priori condonato: neutrique divertere liceat: & priori petenti divortium obſtet exceptio ſui adulterii quamvis remiſſi. Quia quamvis adulterium remiſſum nequeat in judicium deduci ad effectum accuſationis, poteſt tamen ad effectum excipiendi contra accuſantem ad divortium. Quædam enim conſequi poſſumus excipiendo, quæ non poſſumus agendo. Et quia accuſans de crimine debet eſſe ejus luminis, *c. Qui crimen* 6. *q.* 1. *& c.* 1. 32. *q.* 4. Ita tenet *Hugo*, quem refert, & ſequitur *Turrec. eo c.* 1. *n.* 4. Idem licet ſatis obſcure docent *ibi Arch. ad fin. verſ. In ea gl.* ibi, *dico, adde & male. Et ibi Bellam. n.* 2. *eodem verſ.* & ita *Archid.* intelligit, eum ſequens, & referens etiam *Laurent. Greg. Lop. lib.* 8. *verſ. Eſſe miſmo, t.* 2. *p.* 4. At hoc mihi diſplicet. Et ideo dicendum eſt cum *gloſ. eo cap.* 1. *in fin. & Aſtenſ.* 2. *par. ſum. l.* 8. *t.* 33. *ar.* 3. *ad fin.* minime competere conjugi poſterius adulteranti exceptionem illius adulterii, quod condonavit, nec dari compenſationem, ſed poſſe priorem conjugem celebrare divortium. Quia remittentibus actiones ſuas, non eſt dandus regreſſus, *l. Quæritur* 14. *verſ. Si vendito, ff. de ædit. edicto*. Deinde, quia (ut optime docet *Sotus* 4. *d.* 36. *q. un. ar.* 1. *verſ. Dubitatio vero*) reconciliatio contractum matrim. ad ſuum priſtinum ſtatum revocavit, ac ſi nulla eſſet uſque tunc fornicatio admiſſa, in quo eventu poſſet utique prior conjux reconciliatus, a conjuge poſt adulterii reo, divertere, 7

Tertia concluſio. Non obſtat compenſationi adulterii mutui, ſi alter conjux plurima adulteria, alter vero unum ſolum admiſerit. Quia cum uterque fregerit fidem, delicta cenſentur paria. Jura enim fractionis fidei, non autem numeri rationem habent. Hæc videtur contra DD. relatos n. 4. fine, dicentes paria crimina quoad compenſationem hanc faciendam cenſeri, quando datur æqualitas in quantitate & qualitate. Quos merito reprobat *Anan. c. pen. n.* 5. *de adult.* Et ideo hanc concl. docent *Sotus* 4. *d.* 36. *q. un. ar.* 1. *verſ. Dubitatio vero, Angl. Flor.* 1. *par. de matrim. q.* 9. *de divort. ar.* 1. *diffic.* 2. *concluſ.* 1. *Lud. Lop.* 2. *par. inſtr. de matrim. cap.* 54. ubi de divort. quoad habitationem, *§. penul. notab.* 3. *Cannedo ſum. ſacr.* ubi de matr. *c.* 7. *n.* 57. *caſu* 1. 8

Quarta concluſio. Quamvis adulterium alterius conjugis ſit occultum, ſolique Deo cognitum, alterius vero publicum, nequit adulter ocultus divortium petere, ſed tenetur compenſare adulteria. Nam in foro conſcientiæ occulto non deſideratur probatio per teſtes, ſed ſola veritatis cognitio. Quare nil intereſt an fornicatio ſecreta ſit nec ne, quando ipſi conjugi conſtat, ſe fornicatum fuiſſe. Præterea uxori adulteræ publice, cujus vir occultum adulterium perpetravit, non deficit jus excipiendi ut crimen ſuum alterius crimine tollat: ſed ſola deficit probatio. Propter defectum autem probationis, etſi in foro contentioſo a cauſa cadat, non tamen in foro conſcientiæ. Sicut qui revera æs alienum contraxit, licet creditor probare nequeat, revera debitor eſt, nec poterit ſimile debitum ſibi ab eodem recuperare, ſed compenſare tenebitur. Atque ita docent ex Juriſperitis, *Goffr. ſum. titul de divort num.* 15. *Hoſt. ſumm. eod. tit. num.* 11. *in princ. & c. fin. n.* 3. *de adult. & ibi Joan. Andr. num.* 7. *Anchar. num.* 5. *Idem Joan. Andr. c. Conſtitutus, num.* 1. *de converſ. conjug. Anton. num.* 3. *Anch. num.* 3. *Abbas num.* 8. *fin. idem Abbas c. Significaſti, in fin. de divort.* ubi *Alex. de Nevo num.* 9. *Henr. c. Ex litteris, num.* 11 *de divor. & c. fin. num.* 14. *de adult. Alber. in ſuo dict. lit. D. v. Divortium, verſ. Quid ſi vir, & lit. M. v. Matrim.* 8. *& verſ. Quid ſi aliquis conjugum, Archid. c. Nihil* 32. *q.* 6. *num.* 1. ubi *Bellam. num.* 1. *Turrecr. num.* 1. *Jo: de Friburgo ſumm. confeſſ. l.* 4. *t.* 22. *q.* 15. *Monald. ſumm. tit. de divor. §. Propter quid fiat divortium, verſ. Item pone quod vir, Roſel. matrim.* 7. *num.* 4. *Silv. v. Divortium, qu.* 9. *verſ.* 7. 9

*& ma-*



*& matrim.* 9. *q.* 6. *fin. Tabiena matrim.* 4. *q.* 1. *caſ.* 1. *Armilla v. Matrim. num.* 73. *caſ.* 1. *Brunel. de ſponſal. concl.* 30. *declar.* 8. *num.* 12. *verſ. Primus eſt, Navar. lib.* 5. *conſ. in* 1. *edit. tit. de adult. conſ.* 1. *num.* 3. *&* 4. *in utraque edit. lib.* 4. *tit. de divort. conſ.* 12. *&* 3. *Gaet. repet. cap. ad limina* 30. *qu.* 1. § 4. *num.* 217. 232. *Lancel. inſtit. juris can. lib.* 3. *tit. de divort. §. Multum ante intereſt, v. Niſi.* Et ex Theol. *D. Thom.* 4. *d.* 35. *q. un. ar.* 6. *ad* 5. *& ibi D. Bonav. in expoſ. lit. num.* 1. *& art.* 1. *qu.* 1. *in fin. corp. & ibi Palud. q.* 1. *art.* 2. *caſ.* 1. *n.* 1. *Vincent. ſpecul. doctr. t.* 2. 19. *cap.* 90. *& l.* 10. *c.* 42. *Abul. cap.* 19. *Matth. q.* 75. *in ſolut. ad ult. Sotus* 4. *d.* 36. *q. un. ar.* 1. *verſ. Dubium autem*: & quamvis limitet, dummodo alter conjux probare poſſit illud adulterium: intelligitur ut in foro externo audiatur: atque ita *eo q. ar.* 1. *in fin.* dicit idem eſſe dicendum, ubi adulterium alterius ita occultum eſt, ut probari minime poſſit, *Petrus de Sotos lect.* 12. *de matrim. col. pen. Caſtro lib.* 12. *de lege pœnal. cap.* 4. *Ut noſtram Ovand.* 4. *d.* 32. *q. un. propoſ.* 2. *caſ.* 1. *Palac.* 4. *d.* 27. *diſp.* 3. *col.* 22. *verſ. Sed quid ſi vir, f.* 603. *Verac.* 3. *par. ſpecul. ar.* 6. *concl.* 4. *Angl Flor.* 1. *de matrim. q.* 9. *de divor. ar.* 2. *diffic.* 7. *Petr. de Ledeſ. de matrim. q.* 62. *ar.* 1. *dub.* 1. *fin. Bart. a Ledeſ. dub.* 65. *de matrim. poſt* 3. *concl. §. Etiam eſt notandum, Enriq. lib.* 11. *de matrim. cap.* 17. *n.* 3. *Man.* 1. *tom. ſum.* 2. *edit. cap.* 240. *n.* 3. *Vega* 1. *t. ſumm. c.* 13. *caſ.* 3. Nec audiendus eſt *Enr. ibi*, dicens eſſe culpam venialem, ſi vir occultus adulter, uxorem manifeſte adulteram dimittat, accuſetve. Quia cum res graviſſima ſit divortium celebrare, ſi occultus adulter jure dimittendi caret, ut omnes DD. allegati fatentur, non poteſt eſſe culpa venialis tunc dimittere divortium celebrando. Atque ideo *Abul. & Caſtro eiſdem locis cit.* docent eſſe culpam lethalem. Cavendum eſt etiam ab Ovando, qui loco citato ait non eſſe improbabile, aſſerere occultum adulterum dolentem de ſuo adulterio poſſe negare debitum adultero conjugi manifeſto: retenta opinione Cajetani, aſſerentis occultum adulterum non privari ipſo facto jure exigendi. Quam etiam nos tenuimus lib. 1. diſp. 68. n. 4. Quia juxta eam opinionem ſolum conceditur conjugi occulte adultero, ut non privet ſe jure exigendi debitum, donec ab innocente conjuge illius adulterii conſcio privetur. Non tamen ipſi conceditur ut poſſit divertere a conjuge ſimiliter adultero, ejus adulterii ignaro. Quoniam jus divertendi ſoli conjugi, qui non eſt infectus ſimili adulterio, eſt permiſſum, ut diximus n. 1. Nec obſtat illud adulterium eſſe occultum, & conjugi publice adultero ignotum. Quia hoc nil refert ſi ad forum conſcientiæ attendas, in quo ſola rei veritas inſpicitur. Quod ſi tandem objicias *c. Significaſti, de divort. & c. pen. de adul.* ubi videtur peti ad hanc compenſationem mutuam, ut utrumque adulterium ſit notorium. Quod idem videntur docere *gl. eo c. Significaſti, v. Niſi conſtaret, & Jo: Andr. c. fin. n.* 1. *de adult. & ibi Hoſt. n.* 1. *Ant. n.* 4. Id minime obſtat. Quia non agunt de compenſatione in foro conſcientiæ facienda: ſed quando mulier admiſſa a viro adit judicem petitura reſtitutionem: & vir exceptione adulterii notorii impedit reſtitutionem. Tunc enim dicunt hi DD. juxta illorum textuum deciſionem, non eſſe audiendam mulierem, ut reſtitutio ab ipſa petita concedatur, ſi contra exceptionem ſui adulterii notorii replicet allegans adulterium viri, niſi illud etiam notorium ſit: alias impedietur reſtitutio, donec viri adulterium probetur, illo autem probato reſtitutio fiet, compenſatis hinc inde adulteriis. Et ſic id explicant *Innoc. eo c. Significaſti, n. un. ſuper v. Conſtaret, & Hoſt. ibi, in fin.*

10 Unicum tamen exciperem caſum, in quo viro adultero liceret uxorem æque adulteram, dimittere: nempe, ſi inter utramque conjugem per tranſactionem conveniat, ut vir non accuſet uxorem adulteram ad pœnam capitalem ipſi infligendam (id enim non obſtante ſuo adulterio poteſt efficere, quamvis quoad divortium, & pœnam civilem compenſentur adulteria, ut dicemus diſp. 8. n. 40.) ea lege ut uxor in locum aliquem honeſtum ſe recipiat, ubi ſeparata ab ipſo viro vitam tranſigat. At abſque uxoris conſenſu, id efficere nequit. Quia poteſt illa eligere pati accuſationem. Nec etiam id in pactum deducere poteſt, quando jus accuſandi criminaliter amiſit lapſu temporis, vel alia cauſa: vel quia deficit probatio. Non enim pœna hæc debetur ante judicis ſententiam: nec uxor criminaliter accuſari poteſt deficiente probatione: & ſi accuſetur, non tenetur fateri ſuum crimen. Nec obſtat ſuper adulterii crimen tranſigi non poſſe, *l. Tranſigere* 18. *Cod. de tranſ. & l. De crimine* 10. *C. ad l. Jul. de adult.* Cujus deciſionis varias affert rationes, *Padilla ea l. Tranſigere, a n.* 72. *uſq. ad* 79. ſed potiſſima eſt, propter frequentiam hujus delicti ad arcendum ab eo. Quod eſt adeo verum, ut pactionem etiam gratuitam ſimiliter eſſe prohibitam ſuſtinuerint *Alber. & Goffred. citati per Padilla, dict. l. Tranſigere, n.* 95. *contra Azonem ſum.* 1. *tranſ. n.* 4. Non (inquam) obſtat. Quia opinionem *Azonis* explicans jus civile, approbat *l. reg.* 22. *tom.* 1. *par.* 7. ibi: *Pueras ende ſi el yerro fueſſe de adulterio. Ca en tal caſo, como eſte, non puede ſer fecha avenencia por dineros. Mas bien ſe puede quitar de la accuſation, el marido, ſi quiſiere, no recibiendo precio ninguno por ello.* Unde *Barboſa lib.* 2. *par.* 1. *in principio n.* 115. *ff. ſolut. matr.* dicit cum *Gama in ſuis deciſionib. par.* 1. *deciſ.* 63. *n. unico*, non valere remiſſionem adulterii pecunia factam, vel ſub alio pacto lucrum afferente ipſi marito: ſecus ſub alio quovis pacto carente eo lucro. Et exemplificat *Gama*, ut eſt pactum, ut uxor includatur, exuletve. Idemque ſequitur *Additionator ad Gamam in additionibus ad illam deciſionem, quæ habetur in fine illius tomi.* Et reddit rationem. Quia cum poſſit vir adulteram, præcedente judicis ſententia, occidere, poteſt tranſigere, ut minorem pœnam admittat, quo mortem juſte ſibi inferendam evadat.

Utrum autem adulter volens adulteram criminaliter accuſare, teneatur ei debitum reddere? dicam diſp. 14. n. 8. 11

Ultima concluſio. Exceptio adulterii quando de illo agitur civiliter, ut quoad divortium vel dotis amiſſionem, eſt peremptoria, atque ita opponi poteſt ante, & poſt litem conteſtatam, & quocumque tempore uſque ad ſententiam. Sic colligitur ex *c. pen. & c. fin. de adult.* & docent *Innoc. eo cap. pen. ad fin. & ibi Hoſt. num.* 7. *Ant. num.* 5. *Abbas fin. Anch. n.* 20. *Cardin. num.* 1. *q.* 1. *Anan. n.* 10. *verſ. Ultimo quærit, Jo: Andr. eod. fin. num.* 3. *& ibi Anch. n. ult. in fin. Ananias init. Cov.* 4. *decr.* 2. *p. cap.* 7. § 6. *n.* 6. *& Barth. atque aliis relatis Barboſ. l. Viro atque uxore* 46. *num.* 3. *ff. de ſoluto matr.* Quare audiendi non ſunt *Jo: Lup. rubr. de donat.* §. 20. *num.* 3. *Andr. ab Ex ea rubr. ff. de pactis, n.* 377. dicentes contrarium per *l Si maritus, §. Preſcriptiones, ff. ad l. Juliam, de adult. & l.* 7. *tit.* 17. *p.* 7. Sed reſpondet bene *Covar. & Barb.* eos textus accipiendos eſſe, quando criminaliter agitur de adulterio. Unde quando agitur civiliter de adulterio, poteſt etiam poſt litem conteſtatam excipi de ſimili adulterio vel lenocinio mariti. Secus ſi agatur criminaliter. Et rationem differentiæ tradit *ibi Barboſa*. Quoniam in cauſa civili, ea exceptio diluit omnino delictum adulterii uxoris per virum objecti, & eum omnino ab actione excludit: unde habet vim exceptionis peremptoriæ, quæ uſque ad ſententiam opponi poteſt, *l. Peremptorias, C. ſent. reſcind. non poſſe*. At in cauſa criminali exceptio lenocinii non perimit delictum, ſed tantum excludit virum a jure accuſandi: cujus loco quilibet accuſare poteſt, *§. Item l. Jul. Inſt. de pub. judic.* Et ideo habet vim exceptionis dilatoriæ, quæ ante litem conteſtatam eſt opponenda, *l. pen. & l. fin. C. de excep.* Poteſt etiam exceptio ſimilis adulterii opponi in modum, & vim declinatoriæ, at non eſt audiendus petens divortium, quia ſimiliter adulteratus eſt. Sic *Innoc. cap. penul. ad fin. de adult. & ibi Hoſt. n.* 8. *Anton. n.* 6. *Abbas fin. Card. n.* 1. *q.* 1. *Jo: Andr. c. fin. n.* 3. *de adult. & ibi Ananias init.* 12

An autem lata divortii ſententia poſſit conjux reus opponere exceptionem fornicationis ante ſententiam ab alio conjuge admiſſæ, vel actionem de illa intentare? dicam diſp. 9. num. 25. 13

## DISPUTATIO VII.

Utrum quando uterque conjux eſt adulter, & alter corrigitur, altero in fornicatione perſiſtente, liceat conjugi emendato divortium: an potius mutuæ illæ fornicationes compenſentur?

### *SUMMARIUM.*

*Semel adulteriorum remiſſione facta, poteſt altero relabente innocens divertere. Et an reconciliatione facta, ſi conjux reconcilians labatur in adulterium, poſſit obiicere adulterium a ſe condonatum? Et quid ſi reconciliatus iterum reus adulterii ſit, an poſſit de novo illo adulterio vel de prius a conjuge remiſſo accuſari, num.* 1.

*Quid, ſi nulla reconciliatio præceſſerit, an poſſit conjux emendatus a perſiſtente in adulterio divertere? Refertur duplex ſententia,* 2. *&* 3.

*Proponitur ſententia authoris*, 4.

*Solvuntur argumenta*, 5.

IN hac diſp. id ſupponendum eſt tanquam notum apud omnes, nimirum, ſi ambo conjuges in adulterium lapſi, ad priſtinam redierint amicitiam, eaque reconciliatione facta alteruter relabatur in adulterium, poſſe alterum ratione hujus novi adulterii ab eo divertere. Quia reconciliatio illa matr. ad ſuum antiquum vigorem eos reſtituit, perinde ac ſi nullum eſſet uſque tunc adulterium admiſſum. Unde fit ut conjux poſtea delinquens reus divortii fiat. Atque ita tanquam certum fatentur *Sot.* 4. *d.* 36. *q. un. ar.* 1. *verſ. Dubitatio vero, Led.* 2. *p.* 4. *q.* 64. *ar.* 2. *paulo ante §. Erat ſecundum dubium, Petr. de Led. de matr. q.* 62. *ar.* 1. *d.* 2. Imo & ſi alter ſolus ſit fornicatus, & conjux innocens remittat adulterium, ſi ipſemet poſt remiſſionem adulteretur, non poterit alteri petenti divortium objicere adulterium, quod illi condonarat; ut dixi diſp præc. n. 7. Nec ſi poſt remiſſionem conjux ille reconciliatus, iterum adulterium committat, poterit de adulterio prius remiſſo accuſari, ſed duntaxat de eo novo, ut dixi diſp. 5. n. 20. & 21. 1

Difficultas autem eo pertinet. An quando utroque conjuge fornicante, reconciliatio minime præceſſit, ſed alterius conjugis emenda, altero in fornicatione perſiſtente, poſſit conjux emendatus divertere? Qua in re triplicem invenio ſent. Prima ait, id minime licere. Ducitur. 1. Quia ad divortium celebrandum nil confert, uter prius, aut poſterius, ſæpius, aut rarius adulteratus ſit. Ut probavimus diſp. præc. n. 6. & 8. Quæ ſola ratio urgere videtur, ut conjux jam emendatus poſſit a pertinaci divertere, tanquam ab eo, qui eſt in ultima mora, & poſt mutuam delicti compenſationem, plurium adulteriorum reus. Secundo quoniam ad divortium, impediendamque mutui delicti compenſationem, nil juvat alterius conjugis emenda, ac pœnitentia, utpote quæ ſolum Deo reconciliat, nec abolet injuriam per adulterium matrimonio irrogatam. Quare integrum eſt conjugi impœnitenti illud adulterium opponere, dum id minime condonavit reconciliatione facta. Atque ita ſentiunt *Ledeſ. & Petr. de Ledeſ. n. præc. allegati.* 2

3 Secunda ſententia docet, conjugem illum reſipiſcentem, & jam emendatum, poſſe divertere ab adultero incorrigibili, & in fornicatione perſiſtente. Probat. quia jam non cenſentur paria delicta, ut compenſatio impediatur. Quandoquidem unum eſt emendatum, & alterum perſeverat. Secundo, quia ultima mora nocet, & eſt quæ trahit ad ſe periculum & damnum, *l. Illud, ff. de periculo, & commodo rei venditæ*; & pacta noviſſima ſunt ſervanda, *l. Pacta noviſſima*, 12. *C. de pactis*. Tertio, quia adulter, facta jam pœnitentia, ad priſtinum ſtatum eſt jam reſtitutus, & factus innocens, poterit ergo divertere a conjuge poſtmodum adulterante, ac ſi ipſe adulterii minime reus eſſet. Sic ſentiunt *Goffr. ſum. tit. de divort. n.* 15. ubi *Hoſt. in ſum. n.* 11. *in princ. Palud. 4. d. 35. q. 1. ar. 2. n.* 12. *D. Anton. 3. p. t. 1. c. 21. §. 0. caſ. 7. Silv. v. Divort. q. 9. caſ. 7. Tab. matrim. 4. n. 1. caſ. 1. Sotus 4. d. 36. q. un. ar. 1. v. Dubium ergo reſtat, Caſtro lib. 2. de lege pœn. cap. 4. §. Ut noſtram, Palac. 4. d. 27. diſp.* 3.

*cauſam dederit adulterio, injuſte domo expellendo: vel uxor ob ejus ſævitiam aufugerit: vel ob oſcula & amplexus, remiſſive.* 3.

*An vir lucretur dotem uxoris, accuſans eam criminaliter vel civiliter*, 4.

*Quid, ſi dos nondum tradita viro ſit, ſed promiſſa*, 5.

*Quid in ſponſa de præſenti, quæ nondum matr. conſummavit, vel viri domum traducta non eſt, vel nuptiales benedictiones nondum ſuſcepit*, 6.

*Quid ſit matr. reperiatur fuiſſe invalidum. Et explicatur, l. 81. Tauri, hodie l. 4. to. 20. l. 8. recop. n.* 7.

*Quid, ſi promittens dotem ſtipulatus fuerit, ſibi reddendam, n.* 8.

*An vir adulteram necans aquirat dotem ſibi lege ob adulterium, aliamve cauſam, delatam, n.* 9. *& ibi, quid ſi poſt ſibi acquiſitam, uxorem enecet.*

*An lucretur vir bona uxoris adulteræ parapherna, & alia,*



dotem aliquando repeti poſſe, etiam ſi uxor non ſit viro reconciliata, nempe ſoluto matr. per alterutrius mortem. Cum tamen textus non ad tempus limitatum, ſed abſolute repetitionem neget. Et ſimiliter eumdem reprobat, *Barb. l. 2. p.* 1. *in princ. n. 53. ff. ſoluto matr.* univerſi enim textum illum intelligunt, ut propter uxoris adulterium vir lucretur dotem. Atque ita intelligunt *Abb. c. fin. n. 3. de adult.* & ibi omnes, *Cov. 4. decr. 2. p. t. 7. §. 6. n.* 1. & dicit eſſe receptiſſimum *Jul. Clarus lib. 5. recep. §. adulterium n. 13. verſ. Et ſcias.*

3 Utrum autem ab hac pœna excuſetur uxor, ſi vi vel metu cognita ſit? dixi diſp. 5. n. 15. & ſeq. Et quid, quando vir cauſam tribuit adulterio, eam domo expellens, aut ita crudeliter tractans, ut ejus ſævitiam timens aufugerit? ibi n. 10. Et an dotem perdat propter oſcula & amplexus? dixi diſp. 4. n. 11. & 12.

4 Et quamvis non modica controverſia ſit, an attento jure communi habeat hoc verum, ſive vir accuſet uxorem civiliter, ſive criminaliter? Et communis ſent. habebat id in utro-

ritate adulteram. Ut cum *Alex. per eum citato* docet *Covarr. n. 7. proxime allegato.*

Secunda pœna uxoris adulteræ eſt, ut amittat bona para- 10
pherna, ceteraque bona, ac ea viro adjudicentur. Et quidem, ſi ſolum jus commune attendamus, controvertitur inter DD. de veritate hujus pœnæ. Quidam affirmant: & ducuntur, *c. Plerumque, de donat. inter vir. & uxor.* dicitur viro adjudicari dotem ac dotalium uxoris: nomine autem dotalitii, intelligi bona parapherna. Sic *gl. eo c. Plerumque, v. Dotalitium, Felin. c. Paſtoralis n. 5. v. Mulier impudica, de judic. Hippol. de Marſ. conſ. 234. n. 2. Lud. Rom. ſingul. 312. alias n. un.* ubi *addit.* multos refert, *Beroſus rubr. de judiciis n. 22. Covar. 4. decret. 2. p. c. 27. §. 6. n. 2. Coſta cap. Si pater, 1. part. v. Legavit, n. 46. de teſtam. in 6. Perez lib. 8. ordin. t. 15. l. 2. f. 290. Jul. Clar. lib. 5. recept. §. adulter n. 15. verſ. adde quod Boſſius pract. crim. de coitu damnato, n. 54. Ant. Gabr. to. 1. comm. lib. 1. in mea ed. fol.* 21. Alii autem id negant. Quia parapherna non dicuntur

dentis ante ſententiam non perdere dotem. Quia pęnæ delictorum intentatorum non tranſeunt ad hæredem, *leg.* 1. *C. ne ex delec. defun.* Sed huic doctrinæ fortiter obſtat textus *c. Plerumque de don. inter vir. & uxor.* ibi: *Si mulier ob cauſam fornicationis judicio Eccleſiæ aut propria voluntate a viro receſſerit, nec reconciliata poſtea ſit idem: dotem vel dotalium repetere non valebit.* Ubi æquiparat textus ad lucrum dotis adulteræ viro acquirendum, judicio Eccleſiæ aut propria voluntate viri vel uxoris, divortium factum eſſe. Unde *Abbas, ibi, n.*4. *Roſel. verb. Divortium, n.*14. *Angel. verb. adulterium n.*6. ubi *Silv. q.*6. *Tabiena q.*1. *n.*2. *v. Dos, q.*13. *n.*12. ubi *Armilla nu.*13. inferunt, ad dotem lucrandam, paria eſſe matr. ſeparari judicio Eccleſiæ, vel propria voluntate uxoris recedentis ob proprium adulterium, timore viri vel voluntate mariti ipſam ob adulterium notorium expellentis. Et reddunt rationem, quia adulterium uxoris exiſtente notorio, poteſt vir propria authoritate ipſam expellere. Atque concordat *Ant. eo c. Plerumque, n.* 3. dicens mulierem ſeparatam ob adulterium, judicio Eccleſiæ, vel abſque illo, perdere dotem. Quare, videtur attento hoc textu, & DD. allegatis, minime deſiderari judicis ſententiam, qua ob adulterium uxoris vir lucretur dotem, & ob viri adulterium uxor donationem propter nuptias. Sed his minime obſtantibus non eſt recedendum a veriſſima opinione citata, & exigenti ſententiam judicis. Nec illi adverſantur textus, & DD. allegati. Pro cujus intelligentia revocandum eſt in memoriam, quod probavimus lib. 6. diſp. 38. n. 34. nempe, eum cui competit exceptio, ne aliquid ſolvere conſtringatur, habere ſubinde jus retinendi in foro conſcientiæ & terno, licet alter repetat. Cum ergo maritus propria authoritate divertens ab uxore adultera, vel ipſa recedente, jus habeat excipiendi contra uxorem repetentem dotem, opponens ipſius adulterium, poteſt retentionis jure utens, nolle dotem reſtituere: ſed ſibi lucrari illam, quamvis ſententia minime præceſſerit. Quod aperte ſignificat textus, *dict. c. Plerumque*, dum non dixit virum in eo caſu lucrari dotem, ſed uxorem non poſſe repetere: ſignificans poſſe maritum ratione exceptionis adulterii, quam habet, uti retentione. Idem clarius ſignificant *Abbas ibi, n.*4. *Alex. de Nevo, n.* 5. ubi caute dicunt mulieri recedenti ob adulterium, vel repulſæ ob adulterium notorium, repetenti dotem, obſtare exceptionem adulterii, atque ita maritum abſque adulteræ uxoris accuſatione poſſe conſequi dotem, excipiendo modo prædicto. Idem etiam aperte ſentiunt *Angel. verb. adulterium n.*6. *Silveſt. q.* 6. *Tabiena q.* 1. *n.* 2 ubi dicentes in his caſibus virum lucrari dotem, reddunt rationem: quia ſi uxor repeteret, obſtabit ei exceptio adulterii. Et melius *idem Silveſter verb. Dos, q.* 15. ubi ait ſententia divortii ſecuta aequiri dotem & parapherna viro: at propria authoritate expulſa uxore manifeſte adultera, ipſave divertente, acquiri ipſi viro exceptionem contra uxorem, ſi dotem repetat. Et quamvis *Abbas Roſella, Angles, Silveſter hoc eodem n. citati*, petant adulterium eſſe notorium, ut vir expellens propria authoritate uxorem, poſſit dotem retinere: id ſolum eſt ad affectum impediendi reſtitutionem in foro externo, mulier enim ſpoliata ante omnia eſt reſtituenda, ubi adulterium non eſt notorium; ut dicemus hoc lib. diſp. 12. n. 14. At cum in foro conſcientiæ liceat diverte viro, etiam ubi adulterium non eſt notorium: ut dicemus eadem diſp. 12. n. 31. licebit ſubinde dotem retinere. Imo *Alex. de Nevo dict. c. Plerumque n.* 5. dicit etiam mulieri repetenti dotem obſtare exceptionem adulterii non notorii, nec eſſe quoad dotem ſtatim reſtituendam: ſecus ſi peteret ſe reſtitui ad conſortium maritale, ſtatim enim reſtitueretur, niſi de adulterio notorio exceptio opponatur. Et id colligit ex *Ant. eodem cap. Plerumque n.* 3. dicente mulierem ſeparatam judicio Eccleſiæ vel abſque illo perdere dotem, *juncto n.*5. ubi ait ad valorem ſeparationis deſiderari judicium Eccleſiæ, non vero ad lucrum dotis. Unde non eſt audiendus *Anan. cap. fin. n.*3. *v. Circa ultimam quæſtionem, de adult.* ubi ait virum non poſſe propria authoritate retinere adulteræ dotem, donec accedat judicis ſententia. Contrarium enim probavimus ratione exceptionis adulterii quam objicere poteſt uxori dotem repetenti. Ex quibus omnibus fit, ut perfecte & irrevocabiliter vir acquirat uxoris adulteræ dotem, debere judicis ſententiam accedere: ut autem juſte retinere poſſit ratione exceptionis, quam habet, minime ſententiam deſiderari. Quod ſi roges, quid inter utrumque modum diſtet? Tres differentias invenio. Prima eſt, ſi uxor poſſideret bona, non teneretur ante ſententiam illis ſe ſpoliare, viroque reſtituere, ſecus ſententia lata. Secunda, ſi ante ſententiam contingeret virum fornicari, cum mutua delicta compenſentur quoad dotis lucrum (ut dicemus n 29.) caderet a jure excipiendi, & ſubinde a jure retinendi dotem. At ſi lata ſententia ſibi applicanti dotem adulteraretur, non teneretur dotem jam acquiſitam reſtituere uxori, ut bene docent *Mexia taxa panis, concl.*6. *n.*63. *Cenedo in collectaneis juris, collect.*154. *n.*8. quia privari illa dote ſemel acquiſita eſt pęna, & ideo judicis ſententiam deſiderat. Item quia non tenetur compenſare illud adulterium cum adulterio uxoris præcedentis ſententiam, ut redeat ad conſortium conjugale. Ut dicemus diſp. ſeq. n. 50. ac ſubinde nec quoad dotem. Utrum autem jure actionis aut judicis officio poſſit cogi dotem reſtituere in foro externo? dicemus diſp. ſeq. n. 37. Tertia differentia eſt, ſi ante latam ſententiam vir propria authoritate uxorem necet, tenebitur dotem ac cetera bona reddere: ſecus (ut diximus n°9.) ſi ſemel per ſententiam ſint ſibi applicata.

Sed quid, ſi uxor accuſat legitime de adulterio, falſis ſe 14
tueatur teſtibus, aut ſimile viri adulterium probet, ſicque abſolvatur, an teneatur dotem, & cetera bona viro reſtituere, & divortio aſſenſum præbere, ac ſi damnata eſſet? Difficultas hæc pendet ex ea quæſtione: An reus legitime interrogatus negans veritatem, falſiſve teſtibus ſe defendens, teneatur pęnam reſtituere, qua damnandus erat? Quod ſatis probabiliter affirmant *Sotus* 1. *l. de juſt. q.*6. *ar.*9. *ver. Unum hic autem, Caſt. l.*2. *de lege pœn. c.* 12. §. *Ex his, P. Molin. t.* 1. *de juſt. tr.*2. *diſp.*95. *pag.*587 Ducuntur, quia injuſte obſtitit juri ad pœnam quod actor obtinuerat. Et ſic hæc ſententia docet teneri uxorem ea omnia bona, quibus damnanda erat, viro reſtituere. Ceterum probabilius exiſtimo teneri reum expenſas litis, ob id factas, alteri reſtituere, non autem pęnam. Quoniam actor non habet directe jus ad pœnam, ſed indirecte, & per accidens media judicis ſententia. Quia legislator pęnalem indicens legem per ſe & directe ſolum intendit concedere jus ad vindictam de reo ſumendam: per accidens autem, & quaſi mediate & indirecte concedere jus, ut inde lucrum pœnæ actori aut fiſco accreſcat. Ex quo fit, ut reus injuſte ſe defendens delinquat adverſus juſtitiam publicam, & jus rei publicæ, ut id crimen puniatur: non tamen contra juſtitiam commutativam, in ordine ad pœnam actori applicandam. Et ita ſentiunt *Nav. ſum. Hiſp. c.*28. *addit. ad nu.*46. *c.*18. *lat. c.*18. *n.*46. *Metina l.*1. *ſum. c.* 14. §. 35. *fol.*178. *Angl. Floribus*, 2. *p. q. de reſtit. legis pœnal. ar. un. diffic. un. con l.*3. *f.*248. *Arag.*2.2. *q.*62. *ar.*3 *f.*228. *col.*1. *& ibi Salon contr.* 2. *& ibi Bannes ar.*3. *dub.*2. *concl.*6. *f.*215. *Lud. Lop.* 1. *p. inſtr. c.*159. *f.*362. §. *At Nav. Man.* 1. *tom. ſum.* 2. *ed. c.*186. *n.*6. *Graſſis* 1. *p. dec l.*3. *c.*7. *n* 25. Imo id verum exiſtimo, licet juſte damnatus pęna aliqua pecuniaria, appellaret ex cauſa omnino falſa, aut falſis ſe protegens teſtibus, teneretur enim actori expenſas litis reſtituere, nec proſequi litem, ſed omittere ut ex allegatis feratur ſententia: eo quod lis eſt injuſta: pœnam vero minime tenebitur reſtituere, donec ab appellationis judice confirmetur ſententia. Quia prior ſententia appellatione ſuſpenſa eſt: & ſubinde ea non obligat, ac perinde cenſetur, ac ſi condemnatio minime facta fuiſſet. Et ſuſpendi ſententiam ex eo conſtat. Quia vel judex appellationem admiſit, aut inhibuit judicem a quo: & tunc non eſt dubium ſuſpendi priorem ſententiam, quamvis enim appellatio eſſet frivola, & invalida, dummodo ſit intra legitimum tempus interpoſita, ſi judex illi detulit, ſive ex propria ignorantia aut ſcienter, ſuſpendit, ut multis citatis tradunt *Lancel. de attentatis*, 2. *p. cap.*12. *limit.*6. *n.*20. *& limitat.* 1. *a n.*66. *Ant. Gomez t.*3. *var. c.* 13. *nu.*32. Et ſimiliter quando judex ad quem, inhibet judicem a quo. Ut docet *Lancel. eo c.*12. *limit.*50. *n.*128. *& duplici ſequenti*, ubi id defendit contra alios, licet appellatio ſit interpoſita tranſacto appellationis termino. At judex non admiſit appellationem, & adhuc ſuſpendit, quia tenebatur admittere. Cum non notorie conſtet falſam eſſe cauſam, eo vel maxime quod hæc appellatio ſit a diffinitiva ſententia, in qua non eſt neceſſarium exprimere cauſam: & poteſt juſtificari ex novis actis, ut tradit aliis citatis *Maranta pract.*6. *t. Et quandoque appellatur*, 142. *&* 153. Cum ergo ſententia illa ſit per appellationem ſuſpenſa, non debebitur pęna, perinde ac ſi ſententia lata non eſſet. Quod videtur tenere *Palacios l.*4. *de contract. c.*5. *f.*273. *col.* 2. *ante verſ. Porro frater*, ubi ait non teneri reum ad pęnam, donec ultima ſententia damnetur. Quamvis contrarium teneat *Beja in ſua caſuum ſum. caſu* 65. Ex his ergo ad quæſtionem propoſitam reſpondeo, uxorem falſis teſtibus ſe tuentem, aut opponendo falſo ſimile adulterium viro, minime teneri dotem ac alia bona ſua viro reſtituere, ſed litis expenſas factas cauſa injuſtæ illius defenſionis, etiamſi jam ſententia damnata ſit, quæ per appellationem ſuſpenſa eſt. Quia illa privatio eſt pœna debita uſque ad ſententiam judicis, quæ aut ultima ſit, aut in rem judicatam tranſierit. Quamvis teneatur non appellare, vel ſi ſemel jam appellavit, nil novi intentare, quæ conſtant ex iis, quæ præmiſimus. Utrum autem idem dicendum ſit, quando conjux petit divortium ob conjugis adulterium, & conjux adulter falſo negat, aut falſis ſe teſtibus defendit? dicam hoc lib. diſp. 12. n. 8.

Solus vero judex Eccleſiaſticus eſt competens ad cognoſcen- 15
dum de adulterio, ut ratione illius divortium celebretur. Ut conſtat ex *c. Tuæ, de procur. & c.* 1. *ut lite non conteſtat.* Quia cum agatur de viribus matr. diſſolvendis, quod ſacramentum eſt, hujuſmodi cognitio eſt ſolius judicis Eccleſiaſtici. Quod docent *D. Th.* 4. *d.* 35. *qu. un. ar.* 3. *ad* 5. *Ant. eod. cap. Tuæ, n.* 2. *& cap. Cum ſit, n.*16. *de foro compet. & cap. Plerumque, n.*2. *de don. inter vir. & uxor.* ubi *Alex. de Nevo, num.*3. *Præp. ſtatim in princ. notab.* 2. *Card. cap. fin. num.* 2. *q. pen. de adult. & ibi Ananias num. ult. Lex* 7. *t.*10. *p.*4 *Sotus* 4. *d.* 37. *q. un. ar.*3. *ad fin. corp. v. Colligito ergo. Bertach repert. lit. A. v. Adulter, v. Adulterium eſt crimen, Cov.*4. *decr.*2. *par. c.*7. §.6. *nu.*8. *Ant. Gomez l.*80. *Tauri num* 47. *v. Unum tamen, Jul. Clar. lib.*5. *recop.* §. *fin. qu.*37. *num.*3. *v. Quæro nunquid Ant. Gab. tom.* 1. *commun. opin. l.*1. *in mea edit. fol.*25. *ver. Adulterii, cauſa, Anaſt. Germon. l.*3. *de ſacrorum immunit. cap.*12. *num.*58. *Barboſa* alios referens, *l.*2. *par.*1. *in princ. num.*140. *ff. ſolut. matrim. Viguer. l. inſt. cap.*16. §.7. *verſ.*9. *imped* 10 *Enriquez l* 11. *de matr. cap.*17. *num.*1. *fin. & comment. lit. G. Graſſis* 1. *p. dec. l.*2. *cap.*84. *num.*12. *Lud. Lopez* 2. *par. inſtruct. de matrim. cap.*54. *paulo poſt princ. notab.*2. Unde non eſt audiendus *Decius conſ.*212. *num.* 2. contendens ſi ſimul agatur de divortio, & amiſſione dotis, eam cognitionem eſſe



eſſe miſti fori. Quod etiam admittit cum hac moderatione, quando non eſt quæſtio de viribus matrimonii, *Afflictis l.* 2. *conſtit. rub.*11. §.2. Sed neuter audiendus eſt. Imo etſi de ſola conjugum ſeparatione ad tempus ob lepram agatur, ſolus Eccleſiaſticus eſt competens. Ut bene docet *Cov. eodem n.*8. *contra Rupellan. l.*1. *forenſium inſtit. Galliæ c.*25. Quando autem agitur de divortio coram judice Eccleſiaſt. quæſtio alimentorum, & dotis amittendæ, tanquam rei acceſſoriæ pertinet ad eumdem. Ut de dote deciditur *c. De prudentia, de donat. inter vir. & uxor.* Et tenet *ibi Gloſſa*, loquens de dote, *verb. Acceſſorie.* Et de dote & alimentis docent, referentes *Federicum, Card. & Ananias proxime citati.* Utrum autem dum cauſa principalis agitur de dote, poſſit judex Eccleſiaſticus cognoſcere, variant Doctores, atque affirmant dicentes eſſe miſti fori: ut ſi conſtante matrimonio agat uxor de dote reſtituenda, eo quod vir facultatibus labatur, *Innoc. d. c. De prudentia, nu. un. & ibi Abb. n.* 8. *Alex. de Nevo num.*9. *&* 10. *Card. c. Ex litteris, de pig. n.*5. *oppoſ.*5. *& ibi Imola n.*7. Ducuntur, quia dos valde connexa eſt matrimonio, & ideo non mirum ut ratione hujus connexionis poſſit judex Eccleſiaſticus, qui circa matrim. judex eſt, de illa cognoſcere. At oppoſita ſent. ut ſolius ſit judicis ſæcularis, eſt communis & verior. Quam tuentur *Gloſſa d. c. De prudentia, verb. Acceſſorie, Felin. cap. Eccleſia, de conſt. nu.*58. *Joan. Lup. cap. Per veſtras de donat inter vir. & uxor. notab.* 2. *n.*24. *Ant. Gom. l.*50. *Tauri, n.*53. *Mol. l.* 2. *de primog. cap.* 15. *num.* 76. & multis aliis citatis, late probans, & ſatisfaciens contrariis argumentis *Barboſ. l.* 1. *p. n.*46. *& ſeqq. ff. ſoluto matrim.* Atque idem dicendum eſt de cauſa alimentorum, quando de eo agitur principaliter. Ut bene docet *Molina eod. num.* 76.

16 At quoties agitur de adulterio ad pœnam ſanguinis imponendam, ſolus judex ſæcularis eſt competens. Eccleſiaſtico enim ea pœna punire interdicitur, *cap. Sententiam ſanguin. ne clerici vel monachi.* Sic *Ant. cap. Cum ſit, de foro comp. n.* 16. *& c. Tuæ, n.*2. *de proc.* ubi *Abb. n.*6. *Imola n.* 10. Quoad alias vero pœnas eſt miſti fori, atque ſubinde datur locus præventioni. Cum enim ſit quædam Sacramenti injuria, non minus pertinet ad Eccleſiaſticum judicem, quam ad ſæcularem punire illud. Deinde, quia *l. Quamvis, C. ad l. Jul. de adult.* appellantur adulteri ſacrilegi, at ſacrilegium eſt miſti fori *cap. Cum ſit, de foro comp.* Atque ideo ita docent *Abb. eo c. Tuæ, n.*6. *Cov.* 4. *decr.* 2. *par. c.*7. §.7. *nu.* 20. *Jul. Clarus, & Anaſt. Fermonius, relati n. præc. Barboſa* alios referens, *l.*2. *p.*1. *in princ. nu.*139. *& ſeq. ff. ſolut. matr.*

17 Ex dictis infertur, quæſtione mota de alimentis præſtandis adulteræ a viro ſeparatæ, coram judice ſæculari: viroque excipiente de ſufficienti cauſa divortii, nempe de adulterio, debet ſæcularis liti ſuperſedere, donec Eccleſiaſticus divortii quæſtionem dirimat: poteſtque interim ſæcularem inhibere. Juxta id quod habetur *c. Tuam, de ordine cognit. & c. Si judex, in fin. de ſent. excom. in* 6. Sic *Federic.* quem referunt, & ſequuntur *Card. c. fin. q. pen. de adult. & ibi Anan. in fine.*

18 Gravis autem controverſia eſt, num vir qui accuſavit uxorem adulteram criminaliter coram judice ſæculari, poſſit poſtmodum tranſire ad accuſationem civilem petens divortium, ac dotis amiſſionem? Cujus reſolutio pendet ex intellectu, *l. unicæ, C. quando civilis actio criminali præjudicat.* Et quidem *Ant. c. Tuæ de proc. n.* 18. *& Ibi Imola n.*12. docent impoſita per judicem Eccleſiaſticum pœna pęnitentiali, poſſe ſæcularem adiri, ut contentioſam imponat. Si vero contentioſa impoſita ſit, ſi eſt civilis, ut amiſſionis dotis, vel miſta, ut divortii, non impediri, quin adire ſæcularem liceat, ut pęna criminali plectat, impoſita vero ſemel criminali pęna, nullam aliam poſſe imponi. Et *Salic. auth. Sed hodie, n.*4. *ante verſ. Item quia, c. ad l. Jul. de adult.* tanquam rem conſtantem ſupponit, poſt accuſationem civilem adulterii, locum eſſe criminali.

19 Sed ut huic quæſt. ſatisfaciamus, ſupponendum eſt non poſſe intentari actionem criminalem, & civilem principaliter, ex eadem cauſa conſurgentes, antequam alterum judicium abſolvatur, *l. un. C. quando civilis actio criminali præjudicet, l. Interdum* 4. *ff. de publicis judiciis.* Qui textus quamvis loquatur, dum pendenti judicio civili intentatur criminale: at teſte *Jul. Claro lib.* 5. *recep.* §. *fin. q.*2. *init.* procedit indiſtincte, ſive actio utraque ab initio intentetur ſimul, ſive jam cępto, & pendente uno judicio, aliud intentetur. Idem docet *Boſſius pract. crim. t. de pluribus violentiis, n.*113. Dixi principaliter. Quia ſi quis intentet principaliter judicium criminale, poteſt deinde incidenter civile intentare. Ut accuſans criminaliter de furto, poteſt deinde incidenter petere rem ablatam ſibi reſtitui. Sic *Jul. Clarus, ea q.*2. *verſ. Et hæc quidem concluſio*, multos alios referens: idem docet *Addit. ad Marantam pract.*4. *p. judic. d.*1. *n.*6. addens poſſe judicem ex officio, parte minime petenti, ad id compellere. At abſoluto altero judicio, ſive criminali ſive civili, ſic diſtinguendum eſt: ſi hæ actiones tendant ad diverſa: ut altera ad ſatisfactionem, altera vero ad vindictam, tunc finito uno judicio, licet ex ea, eademmet cauſa intentare aliud: ſecus ſi utrumque judicium tendat ad idem, nempe, ad vindictam. Et ſic intelligitur *l. un. C. quando civilis actio criminali præjudicet*, v. g. actione injuriarum poteſt agi criminaliter petendo vindictam ac punitionem injuriæ: poteſt etiam agi civiliter, ut quando ait ſe æſtimare injuriam ſibi illatam, quia illam paſſus eſt, mille argenteis nummis, quos ſibi applicari petit tunc, quia hæc judicia tendunt ad diverſa, alterum ad vindictam, alterum ad rei familiaris compenſam: ideo uno finito, ſive criminali ſive civili, fas eſſet aliud intentare: ſecus ſi utrumque ad ſolam vindictam tenderet. Non enim injuria affectus petit rei familiaris damnum. Sic docent *Bart. l.*2. §. 1. *num.*3. *ff. de vi bonorum raptorum, Abb. c. Tuæ, n.*5. *de procur. & cap. De his, n.*6. *de accuſ. Boerius dec.*298. *n.*6. *Maranta in ſua pract.*4. *p. judiciorum, d.*1. *n.*9. *Cov.* alios referens, 2. *var. cap.*10. *n.*1. *fin. Julius Clar. l.* 5. *recep.* §. *fin. q.* 2. *ad fin.* dixitque eſſe commune. Et *Barboſa l.*2. *p.*1. *in princ. n.*138. *ff. ſolut. matr.* Qui bene addit hoc eſſe verum, ſive actor in priori judicio vincat, ſive ſuccumbat. Non dicitur autem finitum judicium, quando in eo ſententia lata eſt, niſi in rem judicatam tranſierit. Quia ratio deciſionis eſt, eo quod poſſet in uno judicio ſequi abſolutio, quæ rei judicatæ exceptionem in alio pareret: quo propterea ſuperſederetur. Quod minime habet locum, ubi ſententiæ virtus appellatione ſuſpenſa eſt. Ita Bartolus & alii relati, dicitque eſſe omnium *Boſius pract. tit. de pluribus violentiis, n.* 113. Ex his infertur deciſio noſtræ quæſtionis. Vir enim accuſans criminaliter uxorem de adulterio, non poteſt poſtea, etiam eo judicio finito, accuſare civiliter ad dotis ceterorumque bonorum amiſſionem: nec ſi a judicio civili incipiat, poteſt ad criminale tranſire. Quia utrumque judicium tendit ad idem, nimirum, ad pęnam adulterii infligendam. Sic *Abbas cap. Tuæ, nu.* 5. *de procur. Barboſa l.* 2. *p.* 1. *in princ. nu.* 138. *& ſeq. ff. ſolut. matrim.* Idemque dicendum eſt cum *Abbate ibidem, & Soto* 4. *d.* 37. *q. unic. art.* 3. *ad fin corp. verſ. Colligito ergo: Lud. Lop.* 1. *p. inſtruct. cap.*265. 6. *penul & 2. p. de matrim. cap.* 54 *paulo poſt princ. notab.* 2. quando in altero judicio peteretur ſeparatio thori, & habitationis ratione adulterii: in altero vero, pęna criminalis: non enim liceret etiam uno judicio finito, aliud intentare. Nam utrumque judicium tendit ad idem, ſcilicet, ad vindictam & pœnam. Quamvis enim divortium non ſit proprie pœna, ſed proſecutio juris, quod ob alterius adulterium comparavit innocens: at in hac actione appellatur pœna, & vindicta. Quia non pertinet ea actio ad compenſandam rei familiaris jacturam. Quod inde conſtat: nam *l. unic. C. quando civilis actio criminali præjudicet*, decidens actionem civilem non præjudicare criminali, appellat actionem civilem, de re familiari: ubi *gloſſ. verb. De re familiari*, ait ideo id eſſe: quia ſi civilis non eſſet de re familiari, ſed actio injuriarum, una præjudicaret alteri. Quia utraque tendit ad vindictam. Accedit ad hoc, actionem de adulterio ad divortium tendens appellari criminalem. Ut conſtat ex *cap. Tuæ de procur.* ubi textus adulterii actionem dicit eſſe quaſi miſtam ex criminali, & civili, & *ibi Anton. num.* 23. dicit appellari civilem, in quantum tendit ad dotis amiſſionem: criminalem autem, in quantum imponitur divortium in pœnam ingratitudinis, & fidei conjugalis violatæ.

Imo quamvis poſſet aliquis exiſtimare, finito uno judicio, 20
eſto non permittatur accuſatio adulterii in alio, permitti exceptionem, v. g. vir accuſavit criminaliter uxorem de adulterio, deſtitit, vel ſuccubuit, ſi poſtea uxori petenti reſtitutionem ad conſortium maritale, opponeret adulterium: videretur alicui exceptionem admittendam eſſe. Quia facilior eſt cauſa concedendi exceptionem, quam actionem: eo quod reorum cauſa favorabilior ſit. *Reg. Favorabiliores, ff. de reg. jur.* Et notant *Dynus reg. Qui ad agendum* 171. *de reg. jur. in* 6. *n.* 1. *Decius reg. Invit.* 197. §. *Cui damus, n.*2. *ff. de reg. jur.* Unde fit ut multa poſſimus conſequi excipiendo, cum tamen actio denegaretur, *Gloſſ. c.*32. *q.*6. *ad fin.* Et hinc etiam eſt, ut annalia ad agendum ſint perpetua ad excipiendum, *l. Licet* 5. *C. de except.* ubi & *gloſ. final.* & ſcribentes notant. At dicendum eſt, nec eam exceptionem admittendam eſſe. Quia ſi finitum ſit prius judicium criminale, obſtat huic excipienti, in alio exceptio rei judicatæ. Quamvis enim illa judicia tendant ad diverſa, criminale ad pœnam, exceptio vero adulterii ad conſervationem ſui juris, ne cogatur maritus ad ſuum conſortium uxorem adulteram admittere: at ſententia lata in acceſſorio, ſeu incidenti, præjudicat in principali, quando quæſtio de principali vertenda eſt, *Bart. Socinus, l. Si quis cum totum*, §. *Et generaliter, n.* 1. *& ſeq. ff. de except. rei judicatæ.* At in hoc caſu iterum admiſſa ea exceptione, controvertenda eſt quæſtio de adulterio, quod eſt principalis cauſa pœnæ criminalis, & divortii. Item, quia in exceptione victus, non poteſt amplius id, quod in modum exceptionis deduxit in judicium deducere in modum actionis, *l. Duobus*, 19. *ff. de excep. rei judicatæ*: ubi redditur ratio his verbis: *Eamdem enim quæſtionem revocat in judicium.* Ergo a contrario ſenſu victus in actione, non poteſt illud idem per modum exceptionis opponere: eo vel maxime quod militet eadem ratio: eadem enim adulterii quæſtio in judicium revocabitur. Nam ut ait *Bart. Socinus proxime citatus eo* §. *Et generaliter n.*1. tunc dicitur eadem cauſa, quando quod deciſum eſt in priori judicio, venit diſceptandum in poſteriori, licet agitur ad diverſum finem: ut hic contingit. Si autem prius judicium nondum abſolutum ſit, obſtabit exceptio litis pendentis. Ea enim obſtat, quoties exceptio rei judicatæ obſtaret: teſte *Jaſone l. Nulli, n.* 3. *ver. Adde aliam notabilem differentiam, Cod. de judiciis.* Tandem, quia quod una via prohibetur, non debet alia permitti, *l. fi. C. de uſu rei judic.* Quamvis autem in foro externo ad vitandam litium multiplicationem denegentur actio, & exceptio ad divortium ob adulterium ſemel jam deductum criminaliter ad judicem, verum in foro con-

ſcientiæ, id eſt licitum. Cum adulterium illud nondum ſit remiſſum: nec hic caſus comprehendatur inter illos, quos tota diſput. 5. numeravimus, in quibus jus divortii celebrandi amittitur in foro conſcientiæ.

21 Id tamen obſervandum eſt, reconciliatione facta inter conjuges, etiam poſt latam divortii ſententiam, & applicata viro bona uxoris adulteræ, ſi nil in pactum deductum ſit, reddenda eſſe uxori omnia bona ob adulterium amiſſa. Quod quidem conſtat, quando reconciliatio præceſſit ſententiam. Quia vir nondum acquiſierat dotem; ſed exceptionem, & rationes illius retentionem (ut n. 13. probavimus) quam exceptionem reconciliatio extinguit, ac ſubinde jus retinendi. Si vero ſententia præceſſerat: major videtur difficultas: quia jam dos & cetera bona erant mariti: & non eſt cur dici cogamur ea reddenda eſſe uxori. Poteſt enim reconciliatio illa intelligi quoad ſolum jus divortii perdendum. Ceterum adhuc eſt idem dicendum. Quia remiſſio, ſive in pactis, ſive in delictis, eſt ſuapte natura favorabilis, & extendenda. Ut notat *Dynus regula, Odia, nu. 25. & 6. de reg. jur. in 6.* Et ratio eſt clara. Cum enim pœnæ ſint odioſæ, liberatio ab illis, remiſſione obtenta, eſt favorabilis. Deinde, quia illa remiſſio cum ſit plena & abſoluta, reſtituit omnia ad priſtinum ſtatum, ut ante adulterium erat. Præterea, quia cum adulterium ſit fundamentum, & radix amiſſionis dotis & divortii, deſtructo eo per reconciliationem, deſtruitur totum ædificium: id eſt, omnis pœna illis innitens, *c. Cum Paulus* 1. *q.* 1. rurſus, quia hoc probare videtur textus, *cap. Plerumque de donat. inter vir. & uxor.* ibi: *Si mulier ob fornicationem judicio Eccleſiæ aut propria voluntate a viro receſſerit, nec reconciliata ſit eidem: dotem vel dotalitium repetere non valebit.* Ubi *Alex. de Nevo, num. 6.* colligit inde uxorem adulteram minime dotem amittere, ſive reconcilietur ante ſententiam Eccleſiæ, ſive poſt. Atque hujus ſententiæ videntur *Ang. verb. Adulterium, n. 3.* ubi *Silv. q. 6. Tabiena q. 1. n. 2. Armil. n. 4. Emm. Sa, ſum. verb. Divortium, §. pen. Hieron. Llamas, in methodo curat. animarum, 3. p. c. 8. §. 8.* ubi relatis iis, quæ uxor adultera amittit: ſubdunt eam facta reconciliatione, omnia recuperare, ad priſtinumque ſtatum univerſa redire.

22 Quod ſi non abſolute reconciliatio facta ſit, ſed adjecto pacto ut vir aliquid dotis uxoris lucretur: *Barb. l. 2. par. 1. in princ. n. 115. ff. ſolut. matr.* ait ejuſmodi conventionem non valere. Quia *l. Tranſigere, C. de tranſ.* interdicta eſt omnis tranſactio circa adulterii crimen remittendum. Quod *l. reg. 22. p. 7. t. 1.* explicuit, quando accepto præmio pecuniario venia concedetur. Quod hic invenitur. Et refertur pro ſe *Avendanno, & Jo: Lupum rubr. de donat. inter vir. & ux. §. 34. n. 4.* qui tamen id non dicit, ſed potius in oppoſitam partem inclinat. Quia poſtquam dixit non valere conventionem, ſubdit eſſe ſuper hoc cogitandum. Quia non valet conventio quando uxor viro ſponderet id quod ad ipſum virum non pertinet: dos autem acquiritur viro, ratione adulterii ipſius uxoris. Unde mihi certum eſt poſt ſententiam, quia dos applicata eſt viro, poſſe virum remittere uxori adulterium reſervata ſibi dote, & ceteris uxoris bonis. Quia id non eſt pretium veniæ recipere, ſed nolle integre remittere, ſed quoad ſolam divortii pœnam. Et idem tanquam probabilius credo, licet ſententia lata minime ſit. Quoniam dum habeat exceptionem ne dotem reddat, ac ſubinde jus retinendi, nil vere dicitur recipere ut veniam concedat, ſed partim remittit, alia ſibi parte reſervata. Qui enim habet jus excipiendi, habet jus retinendi, ut probavi lib. 6. diſp. 38. n. 34. Quinimo quod attinet ad conſcientiæ forum, ſi pretio accepto vir remitteret adulterium, non teneretur ante condemnationem illud reſtituere. Non leges citatæ nullum verbum continent, quod dominii tranſlationem impediat. Et ſtrictius loquitur *l. Generaliter, ff. de verb. oblig.* dicens ſtipulationem turpem nullius eſſe momenti. Et tamen optime *Cov. reg. Peccatum, 2. p. §. 2. n. 7.* dicit leges, quæ improbant turpes conventiones, procedere ad hunc effectum, ut ex eis agi nequeat, nec teneatur quis promiſſa ſervare, non autem ut acceptum ſit ante judicis ſententiam reſtituendum. Quare l. 6. diſp. 20. n. 7. cum multis probavimus reſtituendum non eſſe pretium acceptum ob crimen injuſtitiæ admittendum, in quo verſatur turpitudo ex parte dantis, & accipientis. Quod ſi vir remitteret adulterium, pacto inito ut ſeorſum habitet uxor, bona eſſent uxori reddenda: quamvis ſententia præceſſiſſet. Quoniam ea remiſſio eſt late & generaliter intelligenda (ut num. præced. probavi) ac proinde id ſolum de quo conventum eſt, excipi ab ea remiſſione debet.

23 Tandem circa has adulteræ pœnas dubitatur: num vir teneatur alimenta præſtare uxori adulteræ? Quidam aſſerunt teneri, etiam facta thori ſeparatione. Quia non deſinit eſſe uxor. Sic docens eſſe communem ſent. *Jul. Clarus l. 5. recept. §. Adulterium, verſ. Facta autem, Ant. Gabr. t. 1. com. opin. in nova ed. l. 1. f. 21. ver. Adulteram uxorem etiam thori ſeparatione.*

24 Alii vero ſentiunt uxorem expulſam a viro, ob adulterium non notorium, alendam eſſe a viro, ſecus ob adulterium notorium: unde in priori caſu; probato poſtea adulterio, dicunt privandam uxorem alimentis futuris, per ſententiam: at præterita eſſe ſolvenda. Quia ob adulterium non notorium minime privatur uxor jure quod habet in virum, nec alimentis, niſi ſecuta ſententia. Quod probant ex *l. Poſt contractum, 15. ff. de donat.* Qui textus nil probat: ſolum enim decidit valere donationem factam poſt capitale crimen contractum, donec feratur ſententia. Sic docent *Cardin. relato Federico, cap. fin. q. antep. de adul. Alex. de Nevo, c. Plerumque n. 9. & 10. de donat. inter vir. & uxor. Roſel. verb. Divortium, n. 11. fin. Ang. verb. Dos, nu. 20.* ubi *Silv. q. 14. diſt. 9.* ubi *Armi. n. 18. Tabien. q. 11. n. 12.* & non teneri ad alimenta, quando adulterium eſt notorium, docent etiam *Jo: Lup. c. Per veſtras, §. 39. n. 5. de don. inter vir. & uxor. Rolan. conſ. 50. n. 6. vol. 1. Bolog. conſ. 23. num. 7. Lara l. Si quis a liberis, §. Si quis ex his, n. 75. ff. de liber. agn. Surd. de alim. t. 1. q. 118. n. 5. & t. 7. q. 16. & 17.* eamque reddit rationem. Quia ob adulterium notorium poteſt uxorem domo expellere.

25 Ceterum quamvis in foro externo, ſicut vir non poteſt negare convictum uxori adulteræ occultæ, ita nec alimenta, ſed cogetur ad utrumque, donec divortii ſententia feratur: at in foro conſcientiæ ſicut vir conſcius adulterii poteſt negare convictum uxori, ita & alimenta. Quia omni jure maritali poteſt tuta conſcientia illam privare. Atque ita docent *Sotus 4. d. 36. q. un. ar. 3. ad fin. corp. Barth. a Led. de matr. dub. 67. fi. Manu. 1. tom. ſum. 2. edit. c. 249. n. 4.* Et favent *Abb. c. fin. num. 3. de adult. & ibi Anan. n. 2.* ubi indiſtincte docent virum non teneri præſtare alimenta adulteræ. Quod intelligerem, ſi ipſam expellat ob adulterium illum occultum, vel ſi non expellat, eo quod commode non poteſt, & caret probatione, qua contra ipſam litigantem ſe tueatur, at non habet eam ut uxorem, ſed retinet, donec divertere poſſit.

26 Quod ſi vir cauſam dederit, expellens injuſte uxorem quæ poſtea in adulterium labatur; DD. aſſerentes virum minime lucrari dotem (quos retuli diſp. 5. n. 10.) ſubinde dicent teneri ad alimenta. At ſicut ibi diximus acquirere dotem, ita dicendum eſt non teneri ad alimenta. Quia expulſio illa injuſta minime excuſat adulterium uxoris, nec ipſi imputatur marito, niſi tanquam cauſæ remotæ. Atque ita docet *Surd. de alimentis, t. 7. q. 16. n. 42.* Quod intelligendum eſt, niſi eo fine vir expuliſſet, ut uxor adulteraretur. Tunc enim ſicut uxor adultera non poſſet privari dote, ita nec alimentis juxta ea, quæ tradidi diſp. 5. n. 10.

27 Aliqui extendunt, ut vir non ſolum adulteram uxorem minime teneatur alere, ſed etiam ſi in ſolis oſculis, & amplexibus deprehendatur. Nam ſicut ob hæc privatur uxor dote, ita alimentis. Sic *Lara l. Si quis a liberis, L. Si quis ex his, n. 77. ff. de liberis agn. Surd. de alim. t. 7. qu. 16. nu. 35.* Sed ſicut non eſt verum eam privari dote (ut probavimus diſp. 4. n. 12.) ita nec alimentis privari poteſt.

28 Tandem ex dictis infertur, quid in ea quæſt. dicendum ſit, an vir teneatur miniſtrare alimenta, & litis expenſas uxori adulteræ, durante lite intentata ad divortium? Qua in re ea omnia miniſtranda eſſe, affirmant *Jo: Lupus de don. inter vir. & ux. c. Per noſtras, in princ. §. 39. n. 5. Reb. 1. tom. ad l. Gall. tit. de ſent. proviſionalib. ar. 3. gl. 1. n. 17. Surd. de alim. t. 1. q. 118. n. 5.* & multi alii quos refert, & ſequitur *Zavallos in qu. ſuis communib. q. 734. n. 18. & ſeqq.* Quibus valde favet lite pendente nil innovandum eſſe. Ut conſtat ex *toto t. Ut lite pendenti.* Alii vero quos refert *ibi Zavallos, n. 17.* id negant, quando adulterium eſt notorium. Nam tunc nulla alimenta debet vir uxori, ut ex multis DD. retuli n. 24. Sed juxta ea quæ n. 25. dixi, arbitror in foro externo cogendum eſſe virum ea alimenta, & litis expenſas miniſtrare uxori uſque ad condemnationem: & pendente lite nil innovandum: in foro autem conſcientiæ virum illius adulterii conſcium minime teneri, ſicut ibi diximus a jure alimenta ſubminiſtrandi abſolutum eſſe. Quando autem uxor litem divortii adverſus virum intentaret, dubium non eſt, quin ei alimenta, & litis expenſæ a viro miniſtranda ſint: ne expenſis deſtituta a cauſa cadat. Atque ita multis citatis docet *Barb. rub. ff. ſolut. matr. 2. p. n. 44. in fin. Gutt. q. can. l. 1. c. 24. n. 7. Peguera dec. crim. 20. n. 5.*

## SUMMARIUM.

*Quoad pœnas civiles compenſantur mutua adulteria, & vir adulter non lucratur dotem adulteræ: nec adultera donationem ob nuptias, 29.*

*Adulter occultus non poteſt tuta conſcientia dotem adulteræ lucrari, 30.*

*An vir qui applicata ſibi dote adulteræ, fornicatur, teneatur dotem illam reſtituere, remiſſive, 31.*

*Poſt num. 31. invenies alias ſummaria.*

29 QUæſtio II. An mutua conjugum adulteria compenſentur quoad pœnas civiles, amiſſionis dotis, & bonorum adulteræ, & donationis propter nuptias viri adulteri? Difficultatem facit diſparitas gravitatis, & injuriæ illatæ per hæc adulteria. Verum abſque dubio dicendum eſt compenſari: ſicut & quoad divortium: ac proinde virum adulterum minime lucrari dotem aut alia adulteræ bona: nec uxorem adulteram donationem propter nuptias factam ſibi a viro. Prob. ex *l. Viro, atque uxore, 40. ff. ſol. matr.* ibi: *Viro atque uxore mores invicem accuſantibus, cauſam repudii dediſſe utrumque pronunciatum eſt: id ita accipi debet, ut ea lege quam ambo contempſerint, neuter vindicetur: paria enim delicta mutua compenſatione diſſolvuntur.* Ubi *gl. v. Accuſantibus*, explicat, id eſt, *Obiicientibus in civili cauſa, ut in donatione propter nuptias, & dote repetitis; ſi uterque ſe turbatur ob delictum alterius.* Et favet *l. 13. fin. t. 9. par. 4.* ibi: *Ca en tales accuſationes como eſt as el marido e la muger egualmente de ven ſer pagados: pero tal egualdad non deve ſer cabida en todo ant el Juez ſeglar.* Ubi clare docent in accuſatione coram judice ſæculari non eſſe pares conjuges in omnibus, quaſi dicat in parte eſſe, nimirum, quoad accuſationem ad pœnas civiles, non autem criminales. Et ideo ita docent *Pal. 4. d. 35. qu. 1. ar. 5. n. 34. Bald. c. Tuæ, n. 1. in fine, de procurat. Paul. conſ. 402. n. un. l. 1. Decius reg. Semper in contractibus, 157. n. 5. ff. de reg. jur. Hyppolit. l. Parte vel marito, num. 12. ff. de quæſtion. & l. 1. §. Idem divus, num. 5. ff. ad l. Cornel. de ſicariis, & ſign. 234. n. 2. Silva nuptialis, l. 1. §. Non eſt nubendum, nu. 104. Ciſuentes l. 81. Tauri, lim. 3. Jo: Lup. rubr. de don. inter vir. & uxor. §. 20. num. 2. Ripa rubr. de judiciis, n. 26. & l. 2. num. 8. ff. ſolut. matr.* ubi *Alciat. num. 7. Beroſus conſ. 45. nu. 5. l. 2. Bernar. Diaz reg. 216. fin. Guillel. Benedict. cap. Raynutius de teſt. §. Cuidam Petro n. 114. Ang. v. Dos n. 15.* ubi *Silv. q. 15. Tab. q. 11. num. 12. Armill. num. 13. Brun. de ſponſ. concl. 30. declar. 8. n. 12. Roland. conſ. 50. num. 6. vol. 1. Carrer. de homicid. §. 6. n. 255. Curtius jun. rubr. c. de edendo n. 28.* ubi *Bolognet. n. 30. & conſ. 23. n. 2. Cov. 9. decr. 1. p. c. 7. §. 6. n. 5. Sebaſt. Montic. de patria poteſtate, v. matr. n. 88. verſ. 5. fallit.* habetur tom. 8. tr. p. 2. *Rojas ſingul 214. fine, Perez l. 5. ordin. t. 1. l. 1. f. 21. v. Tres bienes, & l. 8. t. 15. l. 2. ad fin. v. Lo que quiſiere, Queſada in ſuis q. juris civil. c. 18. nu. un. caſu 5. Cantera q. criminalib. q. tangent. punitionem delicti, c. 4. n. 38. verſ. Sed circa intellectum, Burſatus conſ. 218. n. 8. vol. 2. Brunor. in ſuo compend. lit. A. ver. Adulterium arguitur, Ant. Gabr. to. 1. com. opin. in mea edit. l. 1. v. Adultera f. 25. col. 2. Barboſa l. 2. in princ. p. 1. n. 97. & 99. & l. Viro atque uxore 40. n. 2. ff. ſol. matr. Grat. reg. 596. n. 9. Azebedo l. 8. recop. t. 20. l. 3. n. 24. & l. 4. n. 30. Surdus de alim. t. 7. q. 16. n. 74. Cenedo in collect. juris, collect. 166. nu. 4. Manuel. 1. tom. ſum. 2. edit. c. 99. n. 2. Philiarc. de off. ſacerd. to. 1. p. 2. l. 4. cap. 19. §. 4. peccat. Vega 1. to. ſum. c. 94. caſu 2.*

30 Hinc infertur, ſicut vir adulter occultus nequit adulteram, publicam uxorem accuſare ad divortium in foro conſcientiæ, & ſi divertat, tenetur ad illius conſortium redire (ut probavimus hoc lib. diſp. 6. n. 9.) ita eum non poſſe accuſare ad dotis amiſſionem: & ſi accuſet, appliceturque ſibi dos, teneri reſtituere. Quoniam delicta illa compenſantur, nec leges applicant dotem viro ſimilis adulterii reo, ſed innocenti. Quare ſent. illa, falſæ præſumptioni ejus innocentiæ innitens, eum tutum minime reddit. Hujus ſent. ſunt aperte *Angel. Silv. Tabiena, Armilla, n. præc. allegati.* Nam *Angel. & Silv.* dicunt in hoc caſu ſervandam eſſe etiam in foro conſcientiæ illam regulam, paria delicta mutua compenſatione abolentur, licet alter conjux ignoret adulterium alterius petentis dotem, vel donationem propter nuptias. *Tabiena* autem, & *Armilla* dicunt virum lucrari dotem, & uxorem donationem propter nuptias, niſi ambo peccaſſent etiam occulte.

31 Utrum autem vir adulterans poſt applicatam ſibi dotem uxoris adulteræ, teneatur illam reſtituere: vel poſſit a judice cogi? dixi n. 12. & loco ibi annotato.

## SUMMARIUM.

*Uxori adulteræ an ſit impoſita pœna mortis, n. 32. & ibi, quid, ſi matrimonium reperiatur fuiſſe invalidum.*

*An quoad accuſationem criminalem adulterii, ſint pares conjuges, 33.*

*An viro accuſante uxorem adulteram, admittatur exceptio adulterii viri, 34.*

*An viro adultero permiſſum ſit propria authoritate, aut tanquam judicis miniſtro, occidere adulteram, 35.*

*An fiat compenſatio adulterii utriuſque conjugis, reſpectu accuſationis criminalis, 36.*

*An peccet vir propria authoritate, vel ut judicis miniſter adulteros necans. Refertur duplex ſent. n. 37. & 38.*

*Peccat mortaliter, propria authoritate necans, 39.*

*Idem eſſet dicendum, ſi vir eſſet judex, & adulteros in crimine apprehenſos necaret, 40.*

*An teneatur tunc damna ex homicidio ſubſecuta reſtituere, 41.*

*Non peccat, quando authoritate judicis ſibi traditos necat, 42.*

*Quid, ſi in abſentia damnarentur adulteri capite, & ſententiæ executio viro committatur, 43.*

*Solvuntur argumenta, & enodantur c. Interfectores, & cap. Admonere, 33. q. 2. n. 44.*

*Poſt n. 44. invenies ſummaria quæ deſiderantur.*

32 QUæſtio III. Quæ ſit pœna criminalis adulterii: & an juſte in foro conſcientiæ poſſit maritus adulteros occidere? Præmittendum eſt primo, jure Cæſareo maritis non licuiſſe uxores etiam in adulterio deprehenſas interficere: adulteros vero, non quoſcumque, ſed vel viles, vel infames, aut eos quos ex ſuſpicione ter per ſcripta admonitos, cum uxoribus in ſecreto, & ſuſpecto loco loquentes deprehendiſſent. De qua re conſulendus eſt *Covarr. 4. decret. 2. p. cap. 7. §. num. 1. & 2.* At novo jure hujus regni Caſtellæ permittitur viro adulterum, & uxorem in ſcelere deprehenſos impune propria authoritate necare. Quod conſtat ex *l. 3. tit. 20. l. 8. novæ recop.* Quod etiam verum habet in matrimon. exiſtimato, quod propter aliquod impedimentum reperitur nullum. Nam *l. 81. Tauri hodie l. 4. t. 10. l. 8. recop.* pœnas adulterii ad hunc caſum extendi. Atque ita advertunt *Anton. Gom. ead. l. 81. n. 48. Barb. l. 1. p. 1. in princ. n. 95. ff. ſolut. matrim.* Hoc tamen accipiendum eſt cum limitatione, quam n. 7. poſuimus, nimirum, niſi matrimonium ſit invalidum defectu conſenſus, Si autem vir uxorem, & adulterum accuſet, tradendi ſunt ſententia lata per judicem ipſi viro, qui, ſi velit, eos enecet *l. 3. t. 20. l. 8. novæ recop.*

33 Secundo ſupponendum eſt, quamvis conjuges æquales ſint quoad accuſationem civilem ad divortium celebrandum, & donationem propter nuptias, ac dotem amittendam (ut dixi n. 29.) At quoad accuſationem criminalem minime cenſeri pares. Viro enim conceditur accuſare criminaliter uxorem adulteram, non tamen econtra. Habetur expreſſe *l. 1. C. ad l. Jul. de adult. & l. reg. 1. t. 7. p. 17. & l. 13. fin. t. 9. p. 4. & c. apud miſericordem, §. Publico judic. 32. q. 1.* quod eſt *D. Greg. hom. 29. in Evang.* Et quamvis aliqui eum textum aliter intelligant, teſte *gl. finali ibi*: at ipſa ſic intelligit, & *Greg. Lop. lib. 1. v. Su muger, t. 17. p. 7.* Atque ita docent ex juriſperitis *Abbas c. Cum dilect. n. 28. de ordin. cognat. & cap. 1. num. 2. Ut lite non conteſtata, & c. Tuæ, n. 6. de proc.* ubi *Anch. n. 2. Imola n. 12. Angel. de malef. v. Che ai adulterato n. 25. Jo: Lupus rubr. de don. inter vir. & uxor. §. 20. in fin. Tiraq. lib. 1. connub. gl. 1. p. 1. nu. 44.* Et reddit nu. ſeq. rationem probans latiſſime deteſtabiliorem multo eſſe impudicitiam in femina, quam in viro, *Cov. 4. decr. 2. p. c. 7. §. 6. num. 4. Greg. Lop. lib. 6. v. Derecho, t. 9. p. 4. & l. 9. t. 17. p. 7. v. Tal defenſion Perez lib. 8. ord. t. 15. l. 2. ad fin. & l. 5. t. 1. l. 1. f. 21. v. Tres bienes, Cantera in ſui q. crim. q. tangentib. punit. delicti, cap. 4. n. 45. Olanus in ſua concord. lit. M. v. Maritus, num. 24. Surdus de alim. t. 17. q. 16. nu. 64. Azeb. lib. 8. recop. t. 20. l. 3. num. 24. & l. 4. num. 30. Barb. rub. 2. p. n. 38. & l. 2. p. 1. in princ. n. 98. ad fin. ff. ſolut. matrim.* & multis aliis citatis, *Cannedo in collect. juris, collect. 166. n. 4.* Et ex Theologis, *Sotus 4. d. 36. q. un. ar. 4. in fin. corp. Barth. a Ledeſm. dub. 68. de matr. ad fin. Petr. de Ledeſm. de matrim. q. 62. ar. 1. dub. 3.*

34 Hinc deducitur viro accuſante uxorem adulteram criminaliter, minime admitti exceptionem ſimilis adulterii viri. Quia in hac accuſatione ſunt diſpares. Sic *Ant. cap. fin. n. 5. de adult. Cov. Sot. Cantera, Petr. de Led. num. præced. alleg. Idem Sotus 4. d. 37. q. un. ar. 3. ad fin. corp. Perez lib. 5. ordin. t. 1. l. 1. fol. 21. v. Tres bienes.* Et id expreſſe deciditur *l. reg. 3. tit. 20. lib. 8. recop.* ibi: *La mujer non ſe pueda eſcuſar de reſponder a la acuſation del marido, o del ſpoſo, porque diga que quiere probar, que el marido o eſpoſo cometio adulterio.*

35 Secundo deducitur, minime audiendum eſſe *Enriq. lib. 11. de matr. c. 17. n. 3. lit. F.* ubi ait audiri exceptionem feminæ adulteræ accuſatæ ad mortem, allegantis virum publice habuiſſe concubinam. Nec audiendi ſunt *Hippol. l. 1. §. Item divus, n. 6. ff. de ſicar. & l. Patre, vel marito, n. 14. ff. de q. Carrer. de homic. §. 6. n. 248.* dicens virum cui lex concedit interfectionem adulteræ in ſcelere deprehenſæ, minime poſſe ea poteſtate uti, ſi ipſe adulterio infectus ſit. Idque dicit cogitandum *Cov. 4. decret 2. p. c. 7. n. 7.* Sed merito eos reprobant *Barth. l. 2. p. 1. in princ. n. 98. ff. ſolut. matr. Gratian. reg. 496. n. 6. Azeb. lib. 8. recop. t. 20. l. 4. num. 31.* Quia hæc uxoris occiſio propria authoritate magis aſſimilatur accuſationi criminali: in qua non ſunt æquales maritus & uxor. Nec audiendi ſunt *Palacios 4. d. 37. diſp. un. f. 806. verſ. Verum ſi judex, Guttier. q. pract. l. 2. q. 1. num. 23. Manuel 1. tom. ſum. 2. edit. cap. 206. n. 9. Vega 1. to. l. ſum. c. 27. caſ. 3.* ubi dicunt non poſſe judicem capite damnare uxorem adulteram, ſi vir quoque adulter ſit. Quod convincitur minus verum eſſe, Cum in hac pena inferenda ſint diſpares conjuges, & exceptio ſimilis adulterii nil juvet.

36 Tertio deducitur, quoad accuſationem criminalem non compenſari adulteria conjugum: ſed non obſtante ſimili adulterio admittit accuſationem viri deferentis ad judicium criminale adulteram uxorem. *Cantera num. 33. alleg. Canedo in ſuis collect. juris, collect. 166. n. 4. verſ. Ex quibus reſolve, Enriquez lib. 11. de matrim. c. 17. nu. 3. ad fin.* nec ad id requiritur viri emenda, uxore manente obſtinata. Quamvis eam deſiderari ſignificet *Enriq.* ibi. Nam jura eam accuſationem in viro concedunt, nulla ſui adulterii exceptione obſtante, ut num. 33. & ſeq. probavimus.

37 Difficultas autem ſpecialis in hac re eo pertinet, num liceat marito uxorem & adulterum in crimine deprehenſos propria authoritate interficere, ut leges illi permittunt: vel ſaltem quando authoritate judicis ſibi traduntur interficiendi? In qua concertatione duas reperio extremas ſent. Prima, ait, licite in foro conſcientiæ uti virum conceſſione legis permittentis adulteros in crimine repertos propria authoritate necare: dummodo non livore vindictæ, ſed juſtitiæ zelo perimat. Ducitur primo. Quia legis civilis authoritate id efficit: leges autem in foro conſcientiæ ſervandas eſſe nemo dubitat. Et confir. quia ut culpa caret ſciens, nec potens prohibere: ita illa non vacat potens prohibere magnum damnum, ſi id permittat. Argumento deducto a contrario ſenſu, ex *l. Culpa caret, & l. c. Nullum crimen, ff. de reg. jur.* Si ergo leges illæ cum permittant impune occidere uxorem, & non concedant tanquam licitum, in pœnam delicti, iniquæ ſunt; tanquam permittentes, id quod & poterant, & tenebantur interdicere. Secundo, quia leges non ſolam permiſſionem, ſed conceſſionem ſignificant. Ut conſtat ex *l. 5. t. 20. l. 8. recop. quæ eſt l. 82. Tauri*: ibi: *Et marido que matare por ſu propria authoridad ad adultero y la adultera, aunque los tome in flagranti delicto, y ſea juſtamente hecha la muerte, no gane la dote.* Ubi lex tanquam notum ſupponit juſte ac licite in eo eventu mortem inferri. Et *l. 3. t. 20. l. 8. ejuſdem recop.* ibi: *Si el eſpoſo los hallare en uno, que pueda matar, ſi quiſiere, a ambos a dos.* Eodem prorſus tenore id concedit, ac quando authoritate judicis traduntur